



7022. vi. D. f.

III





HISTORIA  
REFORMATIONIS  
RELIGIONIS

IN

STYRIA, CARINTHIA  
&  
CARNIOLIA

excerpta

Ex Marci Hansizii Germ. Sacr. Tom. II.

in Xenium data

D. D. SODALIBUS  
CONGREGATIONIS  
SUB TITULO

B. MARIÆ V.

AB

ANGELO SALUTATÆ

in Archiducali Societatis JESU  
Collegio Clagenfurti


Anno M, DCC. LXIX.

*CUM FACULTATE SUPERIORUM.*

---

CLAGENFURTI,

Typis Hæredum Joan. Friderici Kleinmayr p. m.



H. J. R. 1. A.  
REEDMAN

RELIGIONIS

STYRIAE CARAVAN

STYRIAE CARAVAN

STYRIAE CARAVAN

STYRIAE CARAVAN

D. D. SOLDALIBUS

CONSTITUTIONE

SUB

B. M. A. R. I. A.

ANGLO-SAXONIC

STYRIAE CARAVAN

COLLEGE

ANNO

STYRIAE CARAVAN

030040649  
Type Handwritten



DE PERACTA REFORMATIONE  
RELIGIONIS

*in*

*Styria, Carinthia, Carniola,*  
EPISTOLA

Georgii Stobæi de Palmaburgo,  
Episcopi Lavantini,  
*ad Serenissimum Principem*

D. CAROLUM  
ARCHIDUCEM AUSTRIÆ.



Quod non ita pridem Judenburgo tu-  
is ad me literis insinuaras, ac per  
earundem perlatores insignem  
Dom. Doctorem Labbe Theolo-  
gum tuum, clarius nuntiare  
jufferas Serenissime Archidux, nempe per-  
celebrem esse, ac veluti tinnientibus dodo-

A

næis




næis lebetibus per omnem dimanasse regionem, quin & sinistris quorundam sermonibus carpi Reformationem Religionis ab Archiduce FERDINANDO Fratrem tuo in suis Provinciis Styria, Carinthia, Carniola, quam fortiter paulo ante cœptam, tam nunc feliciter prope confectam, nihil adeo miri erat, vel novi. Jam id ipsum inaudieram antea, multo ante futurum prævideram, non omnibus hanc gratam fore Comœdiam. Ut vulgus taceam, certe Elector ipse Saxonæ, Princeps cætera prudens in suis nuper ad FERDINANDUM literis, ob, nescio, quem Prædicantem, quem ille carceribus mancipaverat, nequaquam est veritus illum persecutoris Evangelii nomine sugillare, ac si verbum Lutheri verbum esset Evangelii; haud dubie malevolorum improbitate seductus, omnibus enim improbis hoc semper in usu fuit, ut optimi cujusque actiones sugillant, & apud Principes maxime viros in sinistrum sensum detorqueant, Sed quid eos qui foris sunt, commemoro? quando permagni nominis Antistites, qui laudatissimum hoc in FERDINANDO reformandæ Religionis studium, immortalis licet memoria dignissimum, imprudentiæ tamen & temeritatis, non minus temere quam imprudenter arguerent,





rent, quorum ego nomina perenni digna silentio prudens, volensque prætereo.

Cæterum ut habeas, quid & ipse de Reformatione hac sentias, & obtrectatoribus illius, cum opus fuerit, ora consuas; ejus seriem, quam petis, originemque, & progressum, hisce litteris prosequi animus est non ex animi affectu, neque ex Attelanicis vel præficarum fabulis, sed e re gesta (cui ipse ab initio, usque nunc, semper Spectator interfui, & cujus, si fas est, cum Poeta loqui, pars magna fui) depromptam. Rei gestæ, quam narrare aggredior, origo fuit sane admirabilis, utpote non arte nec studio quæsitæ, sed ab ipsismet adversariis, seu casu, seu Divina Providentia in manus tradita. Nam tametsi FERDINANDUS pro sua in DEUM & Religionem pietate Provincias suas ab hæresi expurgandi esset cupidissimus, tamen piam hanc ejus mentem remorabantur, foris Turcæ, domi Sectarii, quorum erat non contemnenda potentia, donec hi ipsi rei bene gerendæ causam præbuerunt. Siquidem hoc omnibus Sectariis commune esse videtur, ut perversis suis studiis, & machinationibus ipsi sibi tandem perniciem creent. At vero quemadmodum evenerit, ut planius fiat, paulo su-



perius, & ab ovo, quod ajunt, repetere operæ pretium duxi.

Ab initio igitur, quo primum istæ Provinciæ prædicatoribus Ruperto atque Virgilio Apostolorum Successoribus, sexcentis ante circiter annis, fide in Christum imbutæ fuerunt, constantes in eadem & quidem ingenti Cœlestis Benedictionis affluentia, adusque Martini Lutheri tempora perstiterunt. Quæ vero & quanta tunc fuerit hujus Divinæ Benedictionis ubertas, non est, quod pluribus commemorem; Urbes, Oppida, Villæ, Castra, Tempa, & multa alia tum Politica, tum Ecclesiastica quam frequentia tam magnifica, a majoribus nostris exstructa, monumenta, abunde huic rei fidem faciunt. In hac inquam fide non Lutherana, sed Christiana; non recenter nata, sed antiquitus tradita; non mortua, sed viva; non otiosa, sed studiosa; non sola, sed bonis cum operibus conjuncta, quam lex requirit Evangelica & Romana docet Ecclesiæ, quæ nimirum per charitatem operatur, Styri, Carinthii, & Carnioliani constantibus semper animis DEO Servatori nostro sub Ecclesiæ Romanæ Vexillis feliciter militarunt, floruerunt & de hostibus sæpe triumphos egerunt.



Postea vero cum Lutherus ex Monacho Apostata, & ex Apostata factus Hæresiarcha, res novas in Ecclesia incepisset, & hæretico correptus spiritu, contagione sua magnam jam Superioris Germaniæ partem contaminasset, tandem & Provinciis istis scabiem suam affricuit, idque adeo non magno cum labore, ut omnes ad primum hominis signum, quod dederat vitro, repudiata Religione veteri, novæ ipsius Sectæ certatim subscriperint. Quis non indignetur? mihi vero etiam liceat, hoc loco non nihil a proposito digredi, & Apostolicis verbis exclamare: O insensati Galatæ! (ad vos o Styrii, Carinthii, Carnioliani! ad vos inquam mihi sermo est) quis vos fascinavit non obedire veritati? sexcenti eoque amplius retro anni sunt, quod eruti e tenebris Ethnicarum superstitionum cœpistis aspiciere lumen, & currere viam Veritatis Evangelicæ, & hætenus quidem currebatis bene, recteque de Fide, deque Doctrina Christiana sentiebatis, nec ulla unquam de ea fuit controversia, & nunc demum in ipsa mundi senectæ, & consumatione sæculorum transferimini ab ea, quæ vos vocavit in gratiam Christi, in aliud Evangelium. Quæ vos dementia cœpit? ut ab avitæ & patriæ Religionis consuetudine ad



exoticam deficeretis & peregrinam, quam neque novere, nec coluere patres vestri? ab illa inquam fide, quam Spiritus Sanctus ait manere roboratam, omnibusque humanis casibus superiorem, quam non vincula, non carceres, non exilia, non ignis, non laniatus debilitarunt ferarum, non exquisita scævientium supplicia terruerunt. Pro qua per universum mundum non solum viri, sed etiam scævinae, nec pueri tantum impuberes, sed etiam tenerae Virgines usque ad effusionem sanguinis constanter decertarunt. Nonne hæc eadem inferorum Spiritibus imperavit, vires ademit, ægritudines depulit, a mortuis hominum quam plurimos excitavit? quæ licet ab Ethnicis sæpe sæpius oppugnata sit & hæreticis, est tamen firma adhuc, nec ullis concussa machinis.

Et multa sane sunt talia, quæ in illa vos fide atque in Ecclesiæ gremio justissime tenere oportebat. Consensio populorum atque gentium, auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, & ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum Successio Sacerdotum,

In



In illa postremo ipsa Catholicum nomen retinere debuit; quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam suam vel domum audeat ostendere. Si dubitatis, interrogate Patres vestros, & nuntiabunt vobis; majores vestros, & dicent vobis. Et quamobrem quæso ab ea discessistis? quæ vos ratio (amabo) ad libellum repudii compulit? quæ necessitas adegit? num aliquando vobis aliquid in veteri Religione defuit, ut proinde inire novam necesse fuerit? nil certe defuisse unquam, quin potius affatim vobis omnibus, & cumulate suppeditasse, testis est paulo superius commemorata, & in præsens usque, oculorum judicio patens rerum omnium ubertas. Profecto Benedictio Domini super vos, & super majores vestros. An vobis nova forte de Cælo fides illuxit? qui potuit? DEUS enim qui Revelator est fidei, immutabilis est; nec fides igitur Catholica immutari potest. Quod enim semel locutus est DEUS, fixum manet & ratum, sicut scriptum est: Verbum Domini (cui fides nostra innititur) manet in æternum. Unde idem Apostolus ad eos-



dem ait : Sed licet aut Angelus de Coelo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.

Quid igitur? nunquid Eclipsim passa Fides? per diu tenebris errorum humanorum involuta, nunc demum dispulsis tenebris lucem reddit, & sese mundo ostendit? ita vestri quidam Dogmatistæ ut temerariam suam & turpem ab Ecclesia Catholica secessionem quoquomodo cohonestent, speciose prætexunt, at interim & ipsum Christum Dominum mendacem faciunt; DEUS enim Christum audire jubet; hic est ( inquit ) Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Porro Filius ad Apostolos & eorum Successores, per quos traducem fidei velut per manus suscepimus; loquens ait: Qui vos audit, me audit. Quibus verbis suam in docendo Authoritatem ipsis attribuit, quam deinde in ipsos quoque Ecclesiæ Prælatos propagatione dignitatis continua & muneris agnitione transmisit, quando dixit: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus; insuper ne quis iisdem tanquam hominibus errorem doctrinæ posset affingere; recepit Spiritum Sanctum se daturum, qui illos in omnem duceret veritatem, quem  
nec




nec inferorum potestates possent infringere. Hæc inquam omnia falsitatis illi condemnant, dum Ecclesiam ejusque Fidem, quæ partim plebis ipsius judicio, jam inde ab Apostolorum temporibus, partim Conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majestate, huc usque toto terrarum orbe culmen Authoritatis obtinuit, erroris atque ignorantix coarguunt. Quæ sane manifesta blasphemia, insania, fascinatio est,

Non enim errat, nec enim erravit Ecclesia. Sed vos, o miseri! erratis turpissime & fascinati estis; & quis vos fascinavit? puderet dicere, nisi ille toti jam mundo ac lippis etiam ac tonsoribus notus esset, homo scilicet, terræ filius omniumque mortalium levissimus, cujus nihil ore maledicentius, nihil lingua putidius, vel petulantius, nihil vita turpius, doctrina denique nihil consceleratius cogitari potest. An non absurda res est ( ut ex innumeris ipsius paradoxis & delirationibus unum referam in exemplum ) conjugis debitum viro recusantis, cum ancilla commutatio? At hanc Lutherus docuit, & prædicavit. Quod ne confinxisse existimer, id verbis illius dabo: Si ex conjugibus alter alteri se subtra-

A 5

hat,



hat, nolitque conjugale debitum præstare, ac præsentiam conjugalem exhibere, quemadmodum subinde adeo pertinaces mulieres inveniuntur, ut nihil moveantur, etiamsi mariti interim decies in fornicationem incidant; si tempus est, resque ipsa exigit, ut vir dicat: si tu non vis, volet alia; si non vult domina, veniat ancilla; ita tamen, ut hoc vir illi prius bis, ter edicat, eamque admoneat; atque in aliorum notitiam deducat, ut publice de illius contumacia constet, & coram communitate corripiat; tunc si non velit, dimitte illam & aliquam tibi Æstherem adjuuge repudiata Vasthi, uti Rex Assuerus fecit. Atque rursus hic: quam parum in mea potestate est, ut vir non sim; tam parum etiam in mea potestate situm est, ut absque muliere sim. Et quam parum in tua potestate est, ut mulier non sis; tam parum etiam in tua potestate est, ut absque viro sis; quia hæc res non est arbitraria, seu consilii, sed res necessaria ac naturalis, ut omnis vir mulierem habeat, & omnis mulier virum, estque hoc plus, quam præceptum, magis necessarium, quam comedere & bibere, purgare & expuere, dormire & vigilare. *Tom. 6. Wittenberg.*





Idem impie profitetur, & persuasum vult omnibus, Christi fideles, Dominica Passione ab omni bonorum operum lege solutos, sola fide justificari, hoc est, non Spiritu sed carne consummari. O præclare novum Religionis Apostolum! o Confessionis Augustanæ Doctorem egregium! quo nemo fuit unquam Antichristo nec erit aliquando similior, & hic sit quintus Evangelista? hic Propheta Germaniæ? o Germana olim, nunc proh dolor insensata pectora! quis vobis cerebrum excantavit, ut receperitis scurram pro doctore? blasphemum pro vate, apostatam pro Evangelista? Antichristum pro Christi Confessore? quam olim reddetis rationem Sanctissimis progenitoribus vestris, qui primi vos eruerunt ex Idolorum servitute, & transtulerunt in DEI Lumen, & Regnum? an non de vobis nunc est ista querimonia? filios enutrivimus, & exaltavimus, ipsi autem spreverunt me. Sed quid queror? stygias ultro quærimus undas. Et id quidem hætenus: quod fortasse non usque adeo nostrum ad propositum pertinet; sed tam enormem nostrorum hominum levitatem sempiterna dignam miseratione, ex iusto animi dolore non potui præterire silentii. Nunc ad institutum revertamur.



Ut primum igitur in hisce Provinciis  
 Lutheri nomen insonuit, omnes pœne a Ca-  
 tholica Religione ad perfidiæ vexillum no-  
 vaque illius monstri commenta declinarunt;  
 erant enim prava ipsorum opera. Sed cum-  
 primis hac labe infecta atque corrupta fuit  
 Nobilitas, jam ad ea tum vitia proclivis,  
 quæ Lutherus ore & opere proferebat, &  
 quibus omnis fere doctrina illius innititur,  
 libidinem inquam, gulam, fastum, & con-  
 scientiæ, hoc est, carnis & sanguinis liber-  
 tatem, e qua illud consecutum, & nunc  
 quoque passim in usu est, ut rarus admo-  
 dum Ecclesiam audiat, sed unusquisque si-  
 bi fidem eligat, aut velut Lesbiam fabricet  
 regulam, moribusque suis acceptam; nec  
 aliter fere credat, quam vivat; quo nihil  
 unquam accidere potuit absurdius; nihil-  
 que rei Christianæ perniciosius. Hinc de-  
 inde, tanquam ex fonte scaturivit, quid-  
 quid postea Catholicis advectum est adver-  
 si. Nobilitas siquidem studio Lutherani  
 dogmatis accensa, hoc egit unum, ut om-  
 nes faceret sui similes, hoc est Lutheri se-  
 quaces. Quoniam id vero salva Religione  
 Catholica efficere non poterat, ad eam ever-  
 tendam totis deinceps viribus incubuit.  
 Initio autem id maxime curavit, ut officia  
 publica in suam potestatem redigeret, in  
 qui-




quibus ad rem suam ex voto conficiendam plurimum esse momenti non erat nescia; nec ipsam suus fefellit conatus. Siquidem ea quidem in re brevi eos fecit progressus, ut ad justitiæ militiæque gubernacula, quæ duo præcipua sunt in istis Provinciis munia, exclusis paulatim Catholicis soli Lutherani præsiderent. Ad hunc modum præcisus Catholicorum viribus ad Ecclesiastica paulatim pedem effert, & ex Basilicis minoris quidem conditionis unam atque alteram, diversis locis intercipit. Nec diu factum quando in Ecclesiarum proventus spe prædæ, ac dulcedine spoliolorum illecta involat; mox templa etiam ampliora occupat, & diripit, atque Prædicantibus, qui hæctenus publice visi non fuerant, onerat.

Vis hæc non improba minus, quam insolens, causa non modica nostrorum ruinæ fuit, quorum alii metu ingruentis calamitatis, quam ante nunquam experti pertulerant, alii desperatione fortunæ melioris, alii studio rerum novarum, alii alia causa a Fide defecere. Quo fiebat, ut factio quotidie cresceret Novatorum; contra vero Ecclesia decresceret Catholicorum; quibus & illud nocumento fuit quam maximo, quod in circulis passim, & familiaribus



ribus congressibus perpetuo ad defectionem sollicitabantur. In conviviis quoque haud raro contigit, ut alter Lutherum præbiberet, alter imbiberet, & domum ille subito Lutheranus rediret, qui paulo ante Catholicus inde pedem extulerat. Accidit insignis stultitiæ hujus exemplum Judenburgi, quod hoc loco recensendum est. Civium non nemo epulum instruxerat, ut appellant, Baptismale ( infantulus quippe illi natus erat, & renatus fonte Baptismali ) aderant convivæ decem omnino, partim cives, partim exteri, quos inter Sectarius unus erat novæ ; priscae Religionis cæteri. Ille patrini locum & nomen tenebat. Inter epulandum effervescentibus ad hilaritatem animis, cum, ut fieri assolet, amica salutatione, computatione pariter urgeretur, ille jam Luthero ebrius, prævio sermone reliquis ejusdem Salutem, vini poculo commendat, & verbum ( hæresim potius dixerim ) propinat Lutheri. Et quanquam non deessent inter illos, qui hujusmodi haustum velut infaustum, & perinde atque in olla mortem initio detestarentur, mox tamen cum reliquis ad exemplum propinatoris assurgerent, & in orbem per singulos blandus ambularet scyphus, demum & illi subrustico victi pudore, & nea singularitate notarentur,




tur, poculum avide acceptant. Quo exhausto propinator extemplo depactam a singulis fidem exigit, & ecce omnes, quotquot aderant, haud cunctanter Fidei Orthodoxæ renuntiant, & Confessioni Lutheranæ stipulata manu subscribunt, non alio, quam vini haustu, adducti argumento.

Dum igitur ita hostiliter, ut diximus, grassatur Nobilitas, non otiose spectant Catholici, sed se pro virili quisque sua, hic verbo, ille scripto opponit, arguit, obsecrat. Ad hæc FERDINANDUM Imperatorem, qui tunc rerum potiebatur, sed negotiis Imperialibus implicatus aberat, de rebus singulis certiores faciunt, opemque implorant. Qui & egregie suo muneri adfuit. Nam & Styriæ, & cæterarum Provinciarum mandat Proceribus, ne avitæ & majorum suorum fidei sese subtrahant; spem vero fecit Catholicis paulo post se adfuturum, & periclitanti Religioni consulturum. Nec dubium, quin pium hoc suum desiderium charus DEO Princeps facto ipso comprobasset, nisi eum communis mortis conditio huic tam pio conatui nolisset esse superstitem.



Vita functo FERDINANDO Romanorum Imperatore, gubernatio harum Provincia- rum legitima cessit Archiduci CAROLO ejus- dem FERDINANDI tertio genito, Patri tuo, singulari bonitate, & pietate Principi; apud quem illico, mirum dictu! qua insinuatio- ne, quibus artibus, homines illi vafri sua officia collocarint, ut sibi suæque in Reli- gione perfidiæ favorem conciliarent, atque ita sublatis impedimentis, eam, quam in- tendebant, facerent libertatem. Verum is initio statim, ut erat alienior a Secta Lu- therana, se & sincere Catholicum, & secus sententientibus offensum ostendit. Quod ut Catholicorum erexit, ita & Acatholico- rum vicissim offendit animos, quibus & no- væ in nos conjurationis ansa hinc porrecta fuit. Quo enim magis a CAROLO Sectæ suæ timebant, eo diligentius prospiciendum censebant, ne quid illa per eum detrimen- ti acciperet. Itaque foedus inter se de de- fendenda Lutheri doctrina, si qua vis forte fieret, ineunt; præterea in eo conventu sta- tuunt, CAROLUM non esse recipiendum in Principem, nec præstandum illi juramen- tum fidelitatis, nisi pariter ipse sufficientem sibi præstet de libertate Religionis cautio- nem. Atque hæc omnium Provinciarum tum confœderatio fuit. Nec occulte ista  
gere-



gerebant, sed propalam apud omnes spargebant, ut eo majorem Catholicis timorem incuterent.

Cum igitur Principis inaugurandi tempus esset, Provinciales derepente sua de Religione placita proferunt, ea que rata haberi longissimo scripto efflagitant. At CAROLUS abnuere, urgere illi; renuere iste; abire longius cœpit contentio. Tandem diuturnioris altercationis impatiens CAROLUS: quid, inquit, mihi molesti estis? quod hæreditario Jure mihi debetur, hoc ego a vobis jusjurandum exigo; quam vero vos Religionis libertatem prætenditis, ea juris mei non est, sed ad eos pertinet, quos ex Divina commissione cura animarum attingit; cum his, quantum satis est, contendite; sed interim Jus mihi meum reddite. Dixit, & quod voluit, tunc evicit robore animi, & orationis instantia. Omnibus jam in suam fidem adactis Catholicus Princeps, quo majoribus Religionis Catholicæ incommodis & dissensionibus occurreret, tum sponte sua, tum nostrorum prece permotus, salutari sanxit Edicto: ne quis post hac in Religionis negotio quicquam innovaret. Novatores Ecclesiasticis per vim ablata restituerent. Prædicantes Provinciis omni-



bus protinus excederent. Omnes avitam Religionem animo, & ritu consueto colebant. Hoc modo putabat optimus Princeps se posse afflictis Catholicorum rebus mederi. At nihil horum æstimabant adversarii, qui quod nostris numero & viribus præstarent, vili pendebant omnia, neque tantum edictum non curabant, verum contra etiam magis ac magis fremebant, & veteres in nos injurias noxiis insultibus accumulabant. Dicitur non potest, quam ea temeritas graviter offenderit CAROLUM, quam ut reprimeret, plurimis & ingeniosis est usus machinamentis; quæ tamen omnia in irritum cecidere, adeo ut magis irritaret crabrones, contra nitentibus videlicet, ac semper in deterius prolabantibus adversariis, qui quo major in Principe extitit Religionis ardor, & propagandæ cura, eo majori in ipsum & nostros exarsere odio. Nihilominus edicto constanter institit CAROLUS, nec voluit quidquam ex eo remittere.


Quod cum illi animadverterent, facileque intelligerent, stante hac Principis mente nunquam se votis suis potituros, in apertam seditionem degenerabant: quam ut præverteret Archidux, censuit publica Indicenda Comitia; atque ut ex omnibus

Or.





Ordinibus & Religionibus frequentes adessent, serio cohortatus fuit. Initio causam hujus tam celebris conventus breviter exponit, quam patriæ ait esse necessitatem: tum Ordinibus capita quædam Rempublicam concernentia scripto comprehensa ad deliberandum tradit, monetque verbis omnes amplissimis, ut ab aliorum cura, quæ nullatenus propositionibus factis continentur, ad seria, & quæ urgentibus causis gravioribus consilium maturius & opem Patriæ pernecessariam exigunt, cogitationes admoveant. Id agendum, ut celeritas difficultates antevertat. Ad quæ Proceres per Mareschallum, imperata se facturos recipiunt quidem, verum totum deinde tempus in stabilienda factione sua ac nova fulcienda doctrina deterunt, cujus consultationis hic demum finis & exitus fuit: nequaquam posse Ordines prius quam de negotio fidei ad securitatem suæ conscientiæ certum quid & optatum decernatur, Patriæ necessitatibus remedium quærere: liberum igitur petere Augustanæ confessionis exercitium; id si impetrent, Patriæ demum se consulturos, & de cætero imperata facturos. Breviter ad hæc CAROLUS: Conventum hunc Rempublicæ causa indictum, quæ & multis & maturis egeat remediis, cum quibus nil



commune habeat ipsorum postulatio; ea proinde relicta ad propositam consulationem secederent, & una secum communem Patriæ salutem procurarent; cæterum in Religionis negotio, si quid haberent, id alias opportuno magis tempore proponerent.

Non deerant ex Lutheranis, quibus æqua videbatur responsio; alii tamen e contrario dicebant, non esse consultum præsentem omittere occasionem; nunc ferrum in igne esse, ea propter premendam ( ut ajunt ) occasionem ac perurgendam conscientia ac Religionis libertatem: & horum sententia valuit. Iterum proinde, iterumque pristinas de libertate conscientia voces ingeminant, triplicant, atque quadruplicant. Quibus rursus CAROLUS, & quidem ob indignitatem rei, voce non nihil commotiore, quam ejus ferebat indoles, quid est ( inquit ) quod ita vestrae studeatis conscientia, ut meam ex adverso conscientiam oneretis? neque videtis o boni! quod toties affectata vestra Religionis libertas, Religionis meæ libertati repugnet, & illam, si vobis concessero, nonne Patriam, avitamque per Patrum majorumque Traditiones acceptam fidem prodidero? id mihi porro  
quis



quis consulat? ego vero superos mihi faventes precor, tantum ut a me scelus avertant; Catholicus sum, & in hac fide, cujus auspiciis Christianus orbis hactenus floruit, & augusta Austriæ Domus in immensum crevit, dum hac aura fruor, me perseveraturum, atque semper cruciatibus omnibus illius prodicionem acerbiorum existimaturum esse profiteor; ne igitur a me petatis, quod vobis præstare, & conscientia & Religione prohibeor. His aliisque dictis CAROLUS adversariorum animos ad pertractanda Republicæ negotia reflectere voluit; sed in saxi, quod ajunt, in arena seminavit, nam quemadmodum dura cautes longe ab sese fluctuantes repellit undas, sic illi Principis salutaria spernunt monita.

Stetit nihilominus CAROLUS in suo proposito firmus, a quo transversum unguem se abduci passus non est. Quæ res fere in insaniam præcipites egit adversarios, qui unum hoc jam animo vovebant omnes, quonam modo Conventum dissolverent. Et vero quidam eorum jam se itineri accingere, populus quoque tumultuari incæperat. In hoc adversariorum fremitu prævalido licet, ac formidoloso, Catholici tamen consilium tuendæ Religionis nihil im-



mutant, neque CAROLI adhuc animus ulla trepidatione nutare videbatur. Verum perennare non potuit genetofus ac religiofus Heros, nec stationem constantiæ infractus retinere. Paucos enim post dies, infurgentibus gravioribus undique motibus, quotidianisque precum, minarum, obtestationumque, ac artium pene omnium machinamentis fatigatus, cedere aliquantum inductus est. Nam ut tunc quidem fama erat, quia non videbatur aliter posse in fide retineri Nobilitas, neque devitari multitudinis seditio; denique illis libertas Religionis concessa fuit, his conditionibus: haberet Nobilitas liberum exercitium suæ Religionis in quatuor duntaxat primi nominis Civitatibus, nempe Græcii & Judenburghi in Styria, Clagenfurti in Carinthia, & Labaci in Carniolia: Civitatum aliarum incolæ, utpote quibus istiusmodi privilegii favor nullatenus suffragaretur, Catholicæ fidei institutis tenerentur obligati; his enim, uti etiam cæteris civibus & subjectis, nullam eam deserendi factam esse potestatem; ministri autem verbi Lutherani, quos Prædicantes vocant, a calumniis & maledictis tam privatis, quam publicis, nec non a populi seductione abstinere.

Gesta hæc omnia fuerunt in tenebris, nempe post occasum solis ad concubiam usque noctem, neque præsentibus, neque consciis Orthodoxis, sed solum Novatoribus, quorum frequens tunc est visus in aula numerus, & incitatus hac illac, susque deque decursus. Quibus autem rationibus illi Principis mentem inflexerint, certi nil de eo rescire potui, nisi quod vulgo pro CAROLO sparsum a nonnullis fuit, non potuisse alio modo furentem multitudinem a cæde & sanguine Catholicorum cohiberi; quanquam alia ex parte non deerant, qui concessionem hanc magno se redemisse pretio gloriarentur. Ex oriente deinde sole cum ea fama ad Catholicos esset perlata, magna fuit illico omnium bonorum consternatio, adeo ut & vultus & ora conciderent universorum, qui sincere Religioni favebant. At contra Novatorum solennis hilarisque cantus vocum & nervorum, conviviorumque strepitus, omnium per aures consonabant; dies festus erat omnibus, voluptatis & lætitiæ plenus. Hinc vero subito ah! quanta secuta est in Religione metamorphosis? vix dum enim indulgentia CAROLI promulgata, e lateribus prodeunt Pseudoapostoli, ad designatas urbes advolant, Cathedras conscendunt, novas, peregrinas



de fide sententias dicunt, novum ritum Religionis introducunt, Ecclesiæ dogmata damnant, ceremonias abolent, leges de jejuniis, de pœnitentia, de bonis operibus dæmonis inventa nuncupant, optimosque usus, & pias quasque consuetudines convellunt; ac denique ut brevi complectar, deformant omnia.

Et hæc aliaque nova & inaudita placita buccinatores isti quo facilius auditoribus sponte jam sua eo proruentibus persuaderent, nomine Evāgelicæ Doctrinæ pallio cohonestant. Quidquid porro concionantur, unum id intendunt, ut exosos reddant Catholicos & populum a libertate Religionis exclusum in libertatem asserant, quem proinde ad audiendas Conciones non solum libenter admittunt, verum etiam variis illecebris invitant, & sollicitant: sequimini, magna voce clamantes, Lutheri dogmata, & Papistarum figmentis & anilibus fabulis nuntium remittite. Sequimini o miseri! & id vobis persuaderi patiamini. Eratis hæctenus superstitionum humanarum oneribus, æthna gravioribus, onusti, ac plusquam cimeriis involuti tenebris, exhausti & enecti prope jejuniis, vigiliis & durissimis pœnitentiæ laniensis tantum non excarnifi-



nificati. Ab his novus Deucalion vel Protheus Lutherus vos liberat, & libertati Evangelicæ restituit. Non ille jejunia, non preces, non pœnitentiam, non ullas denique corporis vel animæ afflictiones a vobis exigit; Christus enim pro his omnibus satisfecit: unum est, ut in Christum credatis; sola quippe fides sufficit.

Talia Evangelici isti, si DEO placet, Ministri prædicabant. Qui sitientes illis dedere aures blandule ab iisdem sunt tractati; qui vero somniculose, vel illos omnino non audierunt, pro Ethnicis & Publicanis sunt habiti. Unde paulatim evenit, ut Catholici nomen velut opprobrii loco, & nota fuerit infamiæ, quam dum velis remisque defugiunt, factum est, ut admodum pauci in fide Catholica constantes remanerent. Decidit hoc pacto, exiguo sane temporis tractu, a Fide Catholica universus fere populus urbanus & rusticus, nobilium quoque turmæ quam plurimæ, non omnes licet una eademque ex causa: etenim attraxit nonnullos carnis sanguinisque libertas, quorum Deus venter est; nonnullos autem honoris & officiorum publicorum ambitio, ad quæ Catholicis non patebat aditus: erant etiam, qui timore, qui vi, qui amicitia,

B 5

qui



qui familiaritate ducti, & fortasse alias ob causas, quibus caro & sanguis promoveri a solet, ab Ecclesiæ gremio exciderent. His illud accedebat, quod plerique non audent libere & palam, alii vero non possent adversariorum objecta redarguere, atque refellere, quamvis alias Religionem Catholicam non improbarent.

Cum miserabilem hanc suorum ruinam cernerent Catholici, ad Principem tanquam ad sacram anchoram refugiunt, eique, quanta esset novatorum improbitas, exponunt, atque ut perversos eorum aulus compescere velit, quam possunt, maxime obtestantur. Neque profecto Princeps supplicantibus defuit, sed Provincialibus pacta violata exprobravit, & ut porro intra præscriptos limites se contineant, serio mandavit: at surdis fabulam. Non curant illi iussa, sed pergunt strenue, ut quibus alea tunc rei suæ gerendæ felix cesserat, & benigna illuxerat aura fortunæ. Iterum vero atque iterum patetorum admoniti; respondent, non sibi licere quemquam eorum, qui ad lumen Evangelicæ veritatis accederent, repellere, omnibus docente Christo viam patere salutis, nec ulli invidendam illam, aut intercludendam esse. Patuit sane ex hoc responso, nihil





hil adeo curæ esse adversariis, atque exitium Catholicorum. Agnovit tum errorem suum CAROLUS, quod non fuerat eis fidentum, qui primam fidem irritam fecerant, & a vero DEI cultu ad falsa Lutheri simulacra exciderant. Nam qui DEO, qui Ecclesiæ fidem non servat, quomodo hic Magistratum reverebitur, aut hominibus depactam fidem reddet? quamobrem facti conscientia, & dolore justo excitatus, in hoc omnes deinceps curas cogitationesque suas contulit, ut quocunque modo posset, quod fecerat, emendare. Et quidni inquit ego pactum retractem, multoties jam ab adversariis violatum? quod cum Senatus etiam sanctior ptobaret, vindicandamque perfidiam judicaret, CAROLUS maturandum ratus, misso ad Provinciales Decreto, jubet, confestim Prædicantes dimitti. Cum enim ipsi pactis non steterint, se quoque eis solum asserit.

Provinciales hoc Decretum e vestigio ad illum, qui limitibus Patriæ adversus Turcas tutandis militari cum Imperio ac Præsidariis legionibus præerat, suæ factionis hominem mittunt, atque ut periclitantibus Prædicantibus manu militari subveniat, literis exhortantur, ad quod cum ille se paratum



rum ostendisset, intra paucos dies cohortem aliquam in agrum Græcensem misit, & fama increbuit plures esse in itinere, brevique adfuturos. Ad horum conspectum & famam trepidatur in urbe, & in aula, ut in casu non opinato fieri solet. Roganti vero CAROLO Provinciæ Deputatos, quid rei? quid hi milites velint? Ad hos, respondent: pertinet accepti nuper Decreti de dimittendis Prædicantibus executio: non enim posse Prædicantes extrahi, plurimorum munitos præsiidiis, nisi in brachio forti & manu valida. Intellexit sane conjunctum cum subfannatione stratagema CAROLUS, vimque sibi parari animadvertens, consulto Senatu Decretum, vitandæ seditionis causa, revocat; quo factò miles ad sua redit, nullo post se relicto damno. Insolens hoc atque iniquum facinus CAROLUS admodum inique tulit, sed tunc, quia vana erat sine viribus ira, tantisper dissimulavit, at alta mente recondidit; erit, inquit, tempus, quando Prædicantibus pedes calefient. Ergo spe sua frustratus, cum neque mandatis, neque auctoritate quicquam apud novatores efficeret, totus in hanc incubuit curam, quomodo posset reliquias saltem Catholicæ Religionis conservare.

Post varia autem consilia, inter cætera media, optimum visum est illud, & commodissimum, ut Græcii Religionis Societatis JESU Patribus Collegium extrueret. Et profecto nullum hæresis malo convenientius excogitari poterat antidotum: nam is nunc est temporis status, ut prospiciendum sit omnino de modo ac via recte instruendæ Juventutis, quo suppetant Ecclesiis olim, & Reipublicæ homines idonei. Quid autem Viris illis in Juventute recte instruenda felicius? quid in refellendis hæresibus efficacius? quid denique in conservanda & amplificanda fide orthodoxa studiosius & constantius? videtur sane DEUS eos Ecclesiæ suæ perculiariter providisse adversus multiplices temporum Sectas, quibus nemo unquam illis cordatius restitit, aut fortius. Itaque paulo post extruitur Græcii Collegium, cujus primum ipse lapidem CAROLUS posuit. Aspiciunt hæc taciti, ac sua rodentes silentia præfagio jam futurorum fremunt adversarii; sed quia honesto modo opus honestum impedire non poterant, antidotum excogitant; nempe & ipsi Collegium Græcii per idem temporis erigunt, idque omnium Facultatum Professoribus illicet infarciunt; Collegio deinde Typographiam adjiciunt, sæcundam plurimorum in DEUM



& in Ecclesiam blasphemiarum lernam ac officinam, præterea rabulas nonnullos in Academiis Principum Protestantium ex communi ærario pretio conducunt, qui quacunq; occasione sive sponte, sive jussi, editis libellis nostros exagitent, qua quidem in re illi operam suam egregie navarunt, ita ut Provinciæ istæ brevi tempore hujusmodi libris majori ex parte famosis replerentur, nec ullus vel modus, vel finis calumniarum esset.

Et vero accedebat ad cumulum malorum, quod cum Catholicos adversarii sic tractarent, sibi tamen vicem reddi non paterentur, sed si quis forte ex nostris resisteret, illico ibat clamor Cœlo, totisque lateribus per pulpita & circulos detonabant: Reus est mortis. Expertus id fuit Joannes Muchitius Præpositus quondam Pölenfis, vir cum singulariter pius, tum insigniter doctus; Is forte Prædicantis cujusdam Hildebrandi famosum libellum scripto confutaverat, & homini insulso par pari retulerat: cum autem Comitiorum tempore ad publica consilia venisset, in ipso statim limine, magno omnium circumlatrantium fremitu jussus est protinus referre pedem; alioquin mox per fenestram actum iri præcipitem. Perterritus



tus ille tam insperato casu excusare se conabatur vulgari dicto: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: at frustra; e vestigio abire coactus est. Vide, quid, ac quantum audeant adversarii unius occasione Collegii: Sed adhuc audi graviora: non enim sic furor illorum quiescit, imo vero crescit, ut fieri solet, quando impune peccatur.

Illi igitur facinorum suorum impunitate freti, paulatim jam in Ecclesias, quisque sibi opportunam irruunt, obvia quæque diripiunt, Sacerdotes possessionibus dejiciunt, tabulas pictas, statuas, organa, libros, quos appellant rituales, & similia, aliis locis extra templi septa ejiciunt, neve alii de iis curam habeant, & ne frustra pereant, foco & cibis coquendis destinant, aliis frangunt & comminuunt, veluti omnibus humanis usibus indigna, hic, ibi, aliter habent, prout traxit sua quemque libido. Tempia vero ipsa ita nudata, expilata, & profanata selectæ suæ ministris attribuunt, & hos quidem non ex suis opibus, sed Ecclesiæ, parteque decimarum aliorumque reddituum Ecclesiasticorum sustentant, reliquum ad suas referunt facultates. Non enim ulla est Ecclesia absque propriis suis proventibus: unde una cum Ecclesia etiam ipsos proventus occupant,



runt, quibus & se & ministros alerent. Hoc proferendi Lutheranismi studium Proceres, ut pro virili sua juvarent, singulis Nobilium, qui in arcibus suis Prædicantes foverent, annuatim ex ærario publico aliquid subsidii assignarunt; unde adeo excrevit prædicantium numerus, ut quia res admodum erat quæstuosa, nullum jam esset Lutheranorum Castellum Prædicante vacuum. Omnes siquidem præsertim vero tenuioris fortunæ Nobiles, spe anni hujus subsidii Prædicantem domi suæ fovebant. Accessit huic lucro & illud, quod ex vino captabant commodum: etenim Nobiles concurrenti ad Conciones audiendas multitudini cellas suas vinarias aperiebant, & vina sua haud exiguo pretio venundabant, atque ita, quos spiritu DEI non poterant, spiritu vini replebant, ut merito dubitare possis, foverinte Prædicantes amore prædicandi verbi Divini, quod tantopere jactitant, an potius sui vendendi vini, & alterius quæstus gratia? nam sive fidem, sive vitam illorum inspicias, nulla in eis pietas; atque semper summa lucri cupiditas apparuit. Atque hæc omnia, ratione Collegii, quod Patribus Societatis JESU exstruebatur, sicut dixi, faciebant adversarii, ut salutaribus Principis conatibus obicem ponerent.



Sed absolvitur interea fabrica Collegii, ejusque cura Viris Religiosis committitur. Ea re divulgata brevi concurrunt numerosa juvenus, aperiuntur Scholæ, prælectiones inchoantur. Porro Professores Theologi his initiis innotescere, & eruditionis suæ specimen aliquod edere cupientes, themata nonnulla de controversis fidei articulis proponunt, & Theologos Lutheranos ad publicas disputationes invitant; annuunt isti, nec certamen detrectant. Ubi ad disputandum dies advenit, CAROLUS ipse spectator aderat; adfuerunt & Theologi Lutherani, quibus primæ in oppugnando partes delatæ fuerunt. Conferunt isti manus, & acriter unam atque alteram Thesim oppugnant; verum cum a dialecticis legibus peregrini errarent, neque certis disputationis finibus, quos argumentationum formæ præscribunt, contineri possent, sed effrænata linguæ licentia, qua potissimum, & ea sola nemini cedunt, evagarentur, propositi immemores; Theologorum vero nostrorum ars difficultatem nonnisi in suos redigi modos pateretur; horæ clamoribus, & altercatione inutili extractæ, ipsi tandem Prædicantes conscientia & pudore affecti ignorantia, domum repetierunt. Gravis hæc illis visa est ignominia coram populo facta, quam




magno existimationi suæ detrimento fore putabant, nisi se vindicarent; & quidem vindicant, sed parum decenter: non enim id faciunt more Theologorum, sed scurrarum; non inquam acumine ingenii, sed maledicentia linguæ. Hac illos Religiosos, ut sibi iniustam ignorantiaë maculam eluerent, apud populum tanquam Hypocritas, Sophistas, Pharisaëos, lupos rapaces tam publice, quam privatim traducunt.

Provinciales etiam satis moleste ferunt Patres illos his primis initiis passim apud homines eruditionis ac pietatis opinione inclarescere: quare & ipsi illorum obscurare famam, & cursum impedire omni arte nituntur; insuper etiam cum Civitatibus de persequendis Jesuitis; ut illi vocant, & Papistis; simul & de tuenda propagandaque Religione Lutherana foedus faciunt, easque in suam fidem & protectionem recipiunt: quo factum est, ut Civitates, quarum alioquin Dominium ad solum Principem spectat, tanto jam munitæ patrocínio, nihil aliud mente versarent, quam Lutherum, quem tamen adhuc ob vigilantiam Principis palam profiteri non audebant; at interim non deerant inter cives, qui domi suæ clam foverent Prædicantes, qui nocturno præsertim tempore



pore vicatim domatimque discurrentes plurimos hæresi infecerunt. Ea res postquam ad CAROLUM est delata (nec enim diu latere poterat) missis ad omnes Civitates literis mandat, ut attendant sibi a fallis Doctoribus, nec intra domos eos admittant, admissos etiam extemplo abire faciant; qui secus fecerit, in eum graviter animadverturum. Literæ hæc, ut omnibus innotescerent, publice e suggestu a Præpositis Ecclesiarum lectæ fuerunt. Civitates autem ex inito pacto, cujus paulo superius mentionem fecimus, mandata hæc cum Provincialibus communicant, & consilium petunt. Hi continuo Principem scripto monent, ne civium conscientias turbet, neque causam præbeat, in futuris Comitibus novorum gravaminum, unde novæ difficultates & pericula oriri possent. Deinde Civitatibus respondent, bono sint animo, & in cœptis alacriter pergant; nihil ipsis a Principe fore periculi; sibi earum salutem, rationem, & indemnitate curæ esse.

Excitata hæc Provincialium instigatione Civitates alias in deterius propensæ ad res novas aperte prosiliunt, & diversis locis occultum hæctenus animi virus pariter in Catholicos & largiter evomunt. Primi omnium



nium oppidani Mitterstorffii in superiori Styria expulso legitimo Pastore ministrum Lutheranum substituunt, & priscam cum nova fide commutant; proxime sequuntur Cives Ragerspurgenses, qui Parochum suo quidem loco non remouent, at Prædicanti Cathedram in domo prophana excitant, quem plebs secuta ibidem suos conventus agebat. Paulo deinde post Marburgenses id ipsum aliarum quoque Civitates & oppida tam in Carinthia & Carnioliâ, quam in Styria imitantur. CAROLUS his malorum initiis, priusquam invalescerent, occurrere cupiens, summa celeritate Commissarios ad singula loca destinat, qui populum ad mentem revocent, & a temerariis ausibus retrahant; & hi quidem partes suas omni diligentia agunt, & prosequuntur, civibus voluntatem Principis significant, atque ut a cœptis desistant, optimis argumentis evincere conantur. Sed aerem verberant: tumultuantur ubique cives, & nec nomen, nec mentionem Orthodoxæ Religionis sustinent. Ita infelix ubique fuit commissionis exitus; qui Mitterstorffium ablegati erant, in manifestum vitæ discrimen inciderant; unde non nisi mutato habitu, & per posticum domus, populi furibundi manus evadere poterant. Qui Ragerspurgum ve-

ue-

nerant, in pari discrimine versabantur, nisi quod a concitata multitudo iussi civitate confestim excedere, incolumes abire permitti sint. Marburgenses cæteris modestius se gerunt: parebimus (ajunt ad Commissarios) mandato Principis, Prædicantes dimitemus, si Græcio prius dimissi fuerint; id perinde erat, ac si dicerent: nunquam erit, ut Græcio exulent Prædicantes.

CAROLUS infelici hac suorum Commissariorum expeditione cognita, etsi magnopere commotus, nihil tamen in Rebelles tum gravius statuit, sed expedito cum literis nuntio, ut perduellionis reos justissime coarguit, & perstringit, monetque, caveant omnino, ne pœnam, quam hujusmodi vi legum commerentur, sibi suisque accersant, atque ita honori, & fidelium civium existimationi, quam hucusque conservarunt, detrahant. Sed tanta jam erat illorum hominum insolentia, ut Provincialium protectione freti, omnia Principis monita, & bonorum virorum consilia facile contemnerent. Græcenses tametsi novæ doctrinæ peravidi semper fuerant, hucusque tamen præsentia Principis, ne importune ac palam eam consecrarentur, stringebantur, veriti, si quid præpropere attentassent, ipse durius aliquid in



eos statueret, quos ob oculos haberet; at  
 nunc vicinorum Rebellium animati & pro-  
 vocati exemplo, omni posito timore, a fide  
 Catholica & ipsi se totos avertunt, & tur-  
 matim in Prædicantium castra transeunt, ac  
 ut perpetuum hoc illis & stabile esset, mutua  
 se defensionem adversus vim omnem jureju-  
 rando obstringunt. Vidi ego conjurato-  
 rum horum numerum, & nomina in eo li-  
 bro, qui paulo post in Visitatione inter lib-  
 ros prohibitos forte repertus, in manus me-  
 as incidit, & supra duo millia ex omni homi-  
 num genere civium, & non civium con-  
 tinebat.

Eo ex tempore adeo fuit imminutus Ca-  
 tholicorum numerus Græcii, ut nemo fere  
 templa nostra visitaret, & Princeps non nisi  
 cum paucis aulicis Divinis interesset officiis,  
 cæteris omnibus ad Synagogam Lutherano-  
 rum confluentibus; qua de jactura, quan-  
 tum dolere Catholici, tantum exultavere  
 Sectarii, & potissimum eorum ministri de  
 hac tanta ad suos accessione facta, vehemen-  
 ter tripudiarunt, exilierunt gaudio, tan-  
 quam qui lætantur in messe, aut qui ex præ-  
 liis revertuntur, onusti spoliis; neque vo-  
 luptatem hanc intra se continebant, sed con-  
 tinuo majoris triumphus causa in universum



extulerunt imperium, tanquam jam Catho-  
lici victi & sub jugum missi essent. Elati igi-  
tur hoc eventu Sectarii, id, quod plerum-  
que in rebus secundis evenire solet, magis  
indies animos induunt efferatos, atque in  
perniciem Catholicorum graviora cudent  
consilia; in hunc quoque finem eorum mi-  
nistri loco doctrinæ Christianæ, pro concio-  
ne quotidie totis lacertis conviciorum plau-  
stra in Catholicos rejiciunt, & nunc in Prin-  
cipem velut Idololatriæ factorem, nunc  
in Sacerdotes tanquam illius instigatores  
dire invehuntur. Qua ex maledicentia,  
populus alias in mala pronus, tantum in no-  
stros concepit odium, ut aliquoties tumultum  
excitarit, nec aliud mente & ore verfa-  
ret, quam omnimodum nostrorum exterminium;  
jamque inter eos convenerat, ut sta-  
ta die in Collegium, Monasteria, Tempia, Do-  
mus Sacerdotum violenti irrumperent, &  
obvia quæque diriperent, & expilarent;  
nec coepto destitissent, nisi Princeps adhibi-  
tis aliquamdiu præsiidiis firmioribus, ac mi-  
litari manu periculum avertisset.

Compressa hunc in modum magis quam  
sedata multitudine, CAROLUS gravi verbo-  
rum tonitru in Provinciales detonuit,  
quod tam seditiosis Prædicantium concioni-  
bus



bus non solum interessent ipsi, sed applausum etiam & calcar subdere viderentur; simulque monuit, ut eos coercerent. Quod si ipsi modum avertendi mali nescirent, se porro inventurum ait. Illi pro more se excusare, & officium adpromittere. Sed lignum tortum, veteri sermone, nunquam rectum; nec, ut Aristophanes ait; rectum iter ut carpat cancer, videbis unquam; sic nimirum agunt cum Prædicantibus, ut facile constaret eos colludere, & excitandis non sedandis tumultibus operam dare, quod & eventus postea docuit. Nam ex eo tempore emendationis nihil, vexationum autem & injuriarum plurimum accessit, quæ in viros omnes Catholicos, tum Ecclesiasticas maxime personas effundebant, usque adeo, ut nullibi sive intra civitates, sive extra a molestiis liberæ degerent. Retulit mihi queribundus aliquando Prædecessor meus Locumtenens Episcopus Labacensis fel. mem. cum vel e domo sua in aulam, vel ex aula in domum concederet, vix unquam per vicum, qua via erat, transisse absque multis probris & convitiis: quidam sibilis confectabantur euntem, verbis obscænis alii, plerique lapillis; & erant, qui lotio vel vappa proluebant: ex ore hæc ipsius accepi. Domi quoque suæ adeo male securus erat, ut aliquan-



do pro sui defensione per aliquot dies opus haberet famulatio aulico; ex quo palam intelligi licet, si hæc contigerunt tanto Præsuli, quo pacto accepti sint cæteri inferioris ordinis Viri Ecclesiastici; & si accidit hoc in urbe Græcensi, in qua sedes est Principis, quid extra, quid in itineribus evenerit, quisque facile conjiciet. Ego quidem non vidi tunc temporis Sacerdotem aut Religiosum non mutato præ timore habitu, ne agnosceretur, iter facere.

Et ad hunc modum tractabantur non tantum in Styria, sed & in cæteris Provinciis Viri Ecclesiastici. Æqualis enim erat Provinciarum omnium ut in hæresi consensus, ita ad injurias, & offensiones Catholicorum animus. Sed Sciria tanquam potentia, & exemplo superior, cæteris imitationem relinquebat. Erat nimirum miserabilis Catholicorum status, ita, ut res eorum deploratæ viderentur, & conclamatum diceres. Auxit vero miseriam, quod inde nullus pateret exitus, nullus appareret malorum finis. Nam Principis Authoritas, quæ sola nostrorum hucusque sustinuerat animos, apud Sectarios plane jacebat, qui in rebus omnibus, non Principem, sed suam sequebantur conscientiam, quam liberam



omnino esse, & a solo DEI Verbo pendere volebant; nec Princeps formidabili illorum potentia, & violentia resistere potuit. Et hæc proinde causa fuit, cur plerique Catholicorum, his quidem locis, supremam jam fidei nostræ instare diem arbitantes, a fide discederent; quod malum nonnullos etiam Ecclesiasticos involvit; plerosque vero a deo languidos effecit, ut, a quorum parte starent, & an calidi an frigidi essent, nemo scire posset.

At erant etiamnum Episcopi, & minores Episcopis, non in arena, sed in petra mentis suam fidem fundatam habentes: qui stationem suam egregie tuerentur, & audacia, quantis possent viribus, se opponerent; & quamvis non raro operam luderent, id tamen assequerentur: ut infirmos in fide confirmarent, & Sectariorum insultus non nihil retunderent, ac magna ex parte frangerent. Sed & CAROLI virtus ac pietas tanquã in igne aurum in istis omnibus adversitatibus magis enituit: neque enim pristinum tantum animi vigorem integrum semper retinuit, sed magis ubique conservandæ Religionis studium continenter ostendit. Hoc quoque laudabiliter præstitit, quod Prælatos & Parochos, quos modicæ esse fidei & a-

nimi





nimi pusilli cognoverat, suo sæpe sermone ad constantiam accendit, & fortiter agere iussit, dum DEUS labanti rei Catholicæ succurreret, in quem finem ipse omnem suam operam pollicebatur. Id vero potissimum animo & consilio agitabat, quomodo Prædicantes, impium, ac seditiosum hominum genus, e Provinciis suis exterminaret, quorum subannationes, & calumnias diutius ferre non poterat; ac proinde sæpius affirmabat, non se posse vitam quietam agere, nec DEO bona conscientia servire, nisi profligatis Verbi Divini & omnis honestæ vitæ corruptoribus, hoc est Lutheranis Prædicantibus.

Dum autem in hac cogitatione anxius hæret, commodum accidit, ut Archi-Episcopus Salisburgensis, cujus ampla est in his Provinciis jurisdictio Ecclesiastica, quiritans de oppidanis suis Altenhofii; (oppidum id est Carinthiæ ferri fodinis proximum) quod ipsi nuper expulso Parocho Templum concessissent Prædicanti, cujus os adversus utrumque magistratum maledictione plenum, & movendis tumultibus idoneum esset; Principis opem imploraret. Hic CAROLUS: hæc est inquit, prima & pridem operata dudum exerendæ sinceræ meæ in DE-  
UM



UM & fidem Catholicam voluntatis occasio, quam neutique negligere oportet. Itaque continuo precibus Archi-Episcopi annuit, & mihi removendi Prædicantis illius, restituendique Parochi ibidem negotium commisit. Multorum hic erat opinio, res præteritorum ex eventu judicantium, omnem hunc vanum fore laborem; at præter omnem expectationem accidit, ut Prædicans ille de hac commissione certior factus, prius aufugerit, quam ego advenirem; & in mea deinde præsentia, post brevem ad populum in Ecclesia sermonem Parochus paulo ante de loco dejectus, spectante, nec quidem se commovente ferri fossorum multitudine, quæ ad defendendum forte Prædicantem frequens confluxerat, in locum suum magna cum tranquillitate fuerit restitutus. Profuit autem huic prosperæ expeditioni magnopere, quod oppidanis ex mandato Principis facta fuerit comminatio, nisi Prædicantem amoverent, fore, ut quem utiliter nunc agerent, pro vita sua ferri mercatum, apud alios impostero collocatum deflerent. Optatus hic exitus plurimum terruit externos Prædicantes, qui res suas vicinorum successu metiebantur; at animavit CAROLUM, cujus in eo jam omnisolvebatur cogitatio, quomodo eos tandem Græciopelleret.



Interea temporis inter se ipsos doctrinae & fidei ergo acerrime digladiabantur. Hac de causa Superintendens Prædicantium cognomento Zimermanus a Collegis suis ad Deputatos Styriæ delatus, tanquam Calvinum oleret, criminationem in eosdem retorserat: ac si alius Flaccum, alius Ossiandrum, nullus purum Lutherum spiraret; quod inter eos deinde implacabilis dissidii seminarium fuit. Deputati, qui jus sibi cognoscendi de rebus fidei controversis usurpabant, conabantur initio dissidium componere; sed id frustra fuit, persistentibus nimirum mordicus in opinione sua singulis verbi ministris; postea vero augescente in dies dissensionis materia, nec alio apparente reconciliationis modo, Deputati illos simul citant, & pacem colere jubent, aut si id nolint, imposterum a docendi munere abstinere, & locum Jesuitis inter se consentientibus cederent. Quanquam autem de Jesuitis illud non ex animo dicerent, hoc tamen velut philtro excantati sunt Prædicantes, ut datis invicem dextris sibi mutuo ignoscerent, uno excepto, qui maluit solum vertere, quam inter hæreticos Prædicantes (nam ita illos appellat) vitam vivere.



CAROLUS ergo hos Pseudo-Ministros exigere cupiens, ut viam huc sibi paulatim sterneret, Civitatem ipsam Græcensem imprimis subigere constituit, jamque eidem de Catholico Judice & Notario, quorum Auctoritas in gubernandis Civibus plurimum habet ponderis, magno Catholicorum applausu prospexerat. Sed o fallax hominum providentia! o nulla longi temporis felicitas! siquidem optimus Princeps in medio optimarum cogitationum cursu, in ipso ex Thermis Austriæ reditu, quo se pro annuo more, valetudinis ergo, paulo ante contulerat, tam pium animi votum abruptit. Princeps sane cum multis virtutum ornamentis refulgens, tum æmulatione & ardore pro fide Catholica nulli secundus; sub quo & Ecclesiæ & publicæ res prosperos habituræ fuerant successus, nisi per adversam prorsus fortunam repentina mors, quæ illum oppressit, tantum bonum nobis & Patriæ & Religioni invidisset. Antequam autem de eo finiam, lubet hoc loco præclarum quoddam ac memorabile ipsius dictum in liberæ Religionis negotio, sicut mihi quondam a Cancellario ipsius Domino Schrantio relatum fuit, subjungere: Quæsitus enim a Novatoribus ante publici exercitii concessionem, qui esset, siquidem FERDINANDUS Imperator liberam



ram olim Austriae Religionem admisisset, cur ipse suum non imitaretur Parentem, & Styriis eandem praestaret gratiam? respondisse fertur: Vestrae factionis homines, meum quondam seduxere Parentem, numquid vos vultis seducere Filium? ego vero Parentis mei periculo edoctus; quem propter vestram improbitatem, sapius facti poenituisse memini, sapere didici, ne unquam committam, cujus me postea poeniteat. Quibus ex verbis liquido constat, quam deinde Novatoribus Religionis ipse libertatem concessit, eam necessitate magis admisisse, quam voluntate; nempe majoris vitandi motus, atque turbarum causa temporibus hoc tribuisse, ac voluisse illum tunc quidem sedare tumultum, & sensim ad auctis viribus subter veram Christi Religionem Provincias suas reducere; id quod multis postea exemplis demonstravit, ac effectum haud dubie dedisset, si DEUS usuram lucis magis diuturnam illi concessisset. Accidit autem obitus illius anno supra millesimum quingentesimo nonagesimo, mense Julio.

CAROLO vita functo debebatur sane FERDINANDO fratri tuo Regimen. Verum quia tum pubertatis annos nondum attigerat, RUDOLPHUS Imperator ERNESTUM Fratrem Pro-



Provinciis istis Tutorio nomine præfecit.  
 Deinde vero illo ad gubernationem Flan-  
 driæ postulato MAXIMILIANUM Fratrem sub-  
 stituit. Fuit Interregnum hoc annorum  
 quinque, quo tempore multa in Catholicos  
 tentavere Novatores; sed Administratorum  
 diligentia supressi sunt illorum conatus, qui  
 cœpto jam bello Turcico Religionis ergo ni-  
 hil passi sunt innovari, ut pace domi serva-  
 ta, bello foris gerendo melius vacare pos-  
 sent. Miserant quidem adversarii ad Impe-  
 ratorem tanquam ad Supremum FERDINANDI  
 Tutorem Legatos pro confirmatione Caro-  
 linæ Concessionis, sed irritis conatibus,  
 quod nollet Imperator quidquam in præju-  
 dicium hæredis admittere; quam quidem ad-  
 rem plurimum attulit momenti, Serenissi-  
 ma Heroïna MARIA, Archidux Vidua, Ma-  
 ter tua prudentissima, consiliorum omnium  
 tam apud Imperatorem, quam apud Guber-  
 natores moderatrix. Neque hoc apud Pro-  
 vinciales Gubernatores clam erat, qui illam  
 propterea summo prosequerantur odio, &  
 plane furiis infernalibus devovebant, adeo-  
 que apud Imperatorem tanquam novæ Do-  
 ctinæ persecutricem perstringere non eru-  
 belcebant; sed nil horum illam morabatur.  
 Quo magis illi fremebant, eo magis ipsa tu-  
 endæ sanæ doctrinæ zelo accendebatur; id-  
 que



que curabat unum maxime, ut Novatores coercerentur, & res Catholicorum salvæ conservarentur.

Exacto quinquennio MAXIMILIANO tunc adversus Turcas in Hungariam proficiscente, FERDINANDUS Ingolstadio, ubi annis aliquot excolendo liberalibus disciplinis ingenio vacaverat, ab Imperatore ad Regimen vocatur, & per Legatos inaugurandus Provinciis sistitur. Is Styrios primum in verba sua jurare more majorum exposcit. Illi se quidem juraturos dicunt, modo & ipse in liberum Religionis exercitium, quod a Patre haberent, jurare vellet. Id vero Catholicissimo Principi gravius visum, tanquam ex Catholico Lutheranus fieret. Renuit igitur, seque nec velle, nec posse tantam suo nomini maculam inurere, virili respondet animo. Exoritur igitur contentio, & in septimanas protenditur. Cum nihil FERDINANDUS proficeret, quærit ex suis, quid consilii? hic varii varia; inter quos nonnulli suadent Secessionem Ecclesiastici Ordinis ab equestri, quorum ille juramentum præstare paratus erat; & revera sanum erat consilium, quo in ordinem cogi poterant adversarii, utpote quorum absque Ordine Ecclesiastico nulla prorsus foret autoritas; siquidem il-




le cum hoc comparatus minima est portio, sive vires, sive proventus consideres. Verum Episcopi & Prælati, sive pavore ducti, seu alia ex causa, certe abjecte Secessionem recusarunt. Rebus sic fluentibus ecce rumor effertur in vulgus, Novatores rerum novarum cudere consilia, de postulando nimirum ex Imperio Lutheranae factionis Principe, idque aliquamdiu adeo constanter & obfirmate circumferebatur, ut apud multos fidem invenerit, & haud scio, an Ecclesiastici tunc ea ex causa territi Secessionem detrectarint: sed commentum hoc erat adversariorum, si eo possent forte mentem Principis in sui favorem inflectere, & ad consentiendum liberae Religioni commovere: at frustra; persistit in suo proposito FERDINANDUS solida petra firmior, & iterum iterumque juramentum sibi tanquam Principi Hæreditario debitum exigit, & tandem obtinet. Perspecta enim Procere magnanimitate, & in agendo constantia Principis, simulque injustam tergiversationis causam animo volventes, cedere inaugurationi, quam periculose reluctari maluerunt.

Cum jam publice præstaretur juramentum, stabant circumquaque omnis generis homines spectaculi gratia, sed quam læti






Catholici gloriosum Principem suum in aureo solio cernentes, tam indignabundi Sectarii voto suo defraudati. Hunc ad modum in Styria rebus feliciter peractis itum est in Carinthiam, inde in Carnioliam, & utrobique inauguratio pari modo & felicitate confecta. FERDINANDUS Græcium reversus, totum se curis Reipublicæ tradidit, quomodo & collapsam patriæ disciplinā, quæ longa consuetudine robur jam collegerat, restauraret, & bello necessaria adversus vim Turcarum compararet. At his contraria fuere Novatorum studia, qui relictis Patriis necessitatibus uni Religionis & conscientiæ libertati vacabant. Hanc per internuntios apud Imperatorem, hanc apud Principes Protestantes Imperii sollicitabant; inter se quoque denuo adversus Catholicos varia agitabant consilia, & novis quotidie calumniis linguam suam exacuebant; quo in genere potissimum Prædicantium improbitas valuit, quorum quotidiana hæc erat e Cathedris oratio: ut DEUS Papam, Papistas & eorum Sectatores perderet, & Sathanæ aliquando castigandos traderet; ipsi & Sathana & omni suppliciorum genere dignissimi. Interim Patria & domi ob dissolutos hominum mores diffluebat, & in finibus ob Turcarum impressiones periclitabatur.




Hoc rerum statu FERDINANDUS Conven-  
 tum Styriæ indicit, deinde Carinthiæ, &  
 postmodum Carnioliæ. In Conventu Sty-  
 riæ ipse in pleno ordinum confesso causam  
 indicti Conventus prolixo sermone expli-  
 cat, quam præcipue ait esse corruptos Pro-  
 vinciæ mores, & præsens a capitali hoste  
 periculum, quibus ipse quidem, quantum  
 in se, mederi paratus sit; sed huic tam arduæ  
 provinciæ consilium & operam subditorum  
 esse pernecessariam, ut cum votis effecta  
 conspirent. Rogare igitur, ut iusto pio-  
 que proposito suo faveant, & communibus  
 votis rem communem adjuvare, & promo-  
 vere velint; illud non esse aliud, quam ut  
 ordo bonus in rebus omnibus constituatur,  
 Patria ab hoste conservetur, & populi, qui-  
 bus gravatur, ærumnæ his solatiis & ad-  
 jumentis leventur. His dictis capita eo-  
 rum, quæ dixerat, scripto comprehensa  
 Proceribus ad deliberandum tradit. Poste-  
 ro die, cum nostri commune de his rebus  
 consilium expectant, adversarii clandestina  
 sua conventicula de procurando libero Pro-  
 fessionis Lutheraniæ exercitio agunt; cum-  
 que dies plurimos ea re transegissent, ingenti  
 tandem graves scripto prodeunt, hoc se-  
 re sensu: majores suos præclara ob merita  
 ab Imperatoribus, Regibus & Principibus  
 mul-



multis donatos prærogativis & privilegiis; posteros eadem, virtute summa, & rei militaris studio, cruentisque manibus auxisse; se quoque temporibus istis ob egregia facinora a CAROLO Patre impetrasse liberi sui dogmatis usum; eundem a Filio sperare, atque unum hunc omnes nunc petere, quem si obtineant, se vicissim exemplo suorum majorum facturos. , omnia Patriæ & Principis causa; quantum & facultatibus, & viribus possent, libenter ad utriusque usum & dignitatem collaturos. Scire se quidem a Turca premi, premi & ab aliis Patriæ necessitatibus; sed tamen gravius a conscientia, cujus majoris momenti cura, quam cæterarum rerum esset: illas enim tantum præsentem hanc vitam respicere, Religionis vero negotium ad omnium salutem pertinere sempiternam. Ideoque eis non dandum esse crimini, quod præcipue conscientiæ & Religionis sollicitudine excitentur.

Ad hæc FERDINANDUS: accidisse ait sibi pergratam, perque jucundam facinorum memoriam, sed eorum, qui pace belloque juxta clari, omnes Religione fuissent Catholici, quorum similes esse ipsos cuperet: agnoscere & præclara posterorum merita, nec de præsentium fide ambigere, quos omni



complecteretur benevolentia. Cæterum  
 novi dogmatis liberum exercitium, quod  
 urgerent, jus ad illud penes se non esse; de-  
 finerent proinde, quod nequaquam posset,  
 moleste a se exigere, & communibus Patriæ  
 negotiis consilia potius & providentiam ac-  
 comodarent, siquidem moram omnem cum  
 evidenti illius periculo conjunctam viderent,  
 quo non Patria solum, nec conjuges  
 tantum & liberi, atque fortunæ unius cu-  
 jusque continerentur, sed fides, Religio,  
 leges omnes & quidquid omnino charum es-  
 se potest, in præsentissimum discrimen vo-  
 caretur. Vel igitur hosti resistendum  
 quam primum conjunctis animis & viribus,  
 vel supremum exitium certo expectandum.  
 Debebat profecto tam pia admonitio Nova-  
 torum mitigare animos; at potius exulce-  
 ravit: etenim si unquam alias, nunc maxi-  
 me furore & amentia excæcati, omnem Pa-  
 triæ salutis tuendæ curam dimiserunt, at-  
 que si uni duntaxat Principi, ipsis nullo mo-  
 do conduceret. Quid hic FERDINANDUS?  
 nihil mutatus ab illo, rursus benigne mo-  
 net, & instat, ne se & Patriam hostibus  
 prostituant, sed ex Subditorum fidelium mo-  
 re, in medium remedia proferant oppor-  
 tuna, quibus exitium propriis cervicibus  
 jamjam imminens depellant, quod alioquin



ex officio debent. Illi contra, Subditos se esse negant, deque hac tanquam nimis vili appellatione cum Principe plus satis, quam abunde expostulant: Vafallos se & quidem multis honoratos privilegiis, non subditos esse asserunt; negant præterea manifeste subsidium in Turcas esse debitum, donum hæcenus & munus fuisse, & nunc quoque liberum esse Nobilitati, si velit in hostem contribuere; si nolit, cogi non posse. Hostem esse Turcam, sed corporis; at animæ & conscientiæ, Principem; quorum si alter eligendus sit, illum potius quam hunc ferendum esse. Erant hæc extra metam Subditorum dicta; & certe exhorruit FERDINANDUS, cum audiret; quin etiam addubitare cœpit, utrum cum Turca non illis occulta inita essent pacta, aut saltem, ut verba indicant, pacisci velint.

Nostri interea tam protervæ adversariorum contentionis, nec non diuturnioris moræ pertæsi, non se continent, sed primum de hac causa moræ, deque prodige hæcenus factis sumptibus & impensis, gravem querimoniam apud FERDINANDUM institunt, ac prorsus dedecere ajunt, ut in communibus Patriæ negotiis Orthodoxi a Sectariorum dependeant arbitrio, & modo ad



Consilia publica vocentur, modo ab eis excludantur, uti hactenus factum fuisset: postea plurimas adversariorum injurias, violentias, & in DEUM, in Religionem, in Magistratum calumnias & blasphemias congerunt, quas jam diu perpeffi sint. Tandem obsecrant, & obtestantur Principem, ut proterviam illorum emendet, vim cohibeat, neque labefactari Orthodoxæ fidei Symbola permittat. Tempus adhuc esse tantis malis medendi; at sero deinceps, cum altiores illa radices egerint, paratum iri medicinam; quin ipsissimam Religionis nostræ ruinam esse pertimescendam, nisi celeriter illi subveniatur. Placuit vehementer salutaris hæc admonitio FERDINANDO, adeoque commendavit pios nostrorum conatus, quibus & omni abrupta mora satisfacere gestiebat. Sed moribus atque institutis placidus maxime Princeps sua etiamnum uti modestia, quam duriora tentare maluit; ut qui non ignoraret, benevolentia præcipue, & benignitate magis, quam vi & servitute duci homines, ac regi velle. Seorsum igitur nonnullos Procerum evocat, blande affatur, & modo cum hoc, modo cum illo familiare miscet colloquium; quid Patriæ, quid ipsis conducat, diserte ostendit. Qua quidem humanitate tantum profecit, ut  
 com-



complures in suam sententiam pertraxerit, qui missis iis, quæ ad rem non pertinebant, imperata se facturos promitterent, simul tamen protestando, nolle se hac obedientia libertati Religionis quidquam præjudicare, sed sibi ejus causam in futura velle comitia reservare; nihiloque minus protestantur & Catholici, se re nulla velle, sed nec posse quidem vel unum apicem cedere.

Interea Conventus cogitur Carinthiæ, cui FERDINANDUS in loco suo præsidere, idque potissimum agere jussit, ut Proceres suum erga Patriam amorem in decernendis maturis contra communem hostem auxiliis ostenderent. Quod ego faxum per tres ibi menses volvi, nec tamen evolvere potui: nolebant enim Provinciales de postulatis Principis quidquam audire, nisi de libera novæ Religionis confessione securi. Quibuscum postquam multæ mihi fuissent altercationes, tandem ajunt, quamvis hostis ad portam esset, tamen a sententia non se velle discedere. At hoc esset prodere patriam, urgeo, instoque pro virili; sed incassum cedunt, & cadunt omnia. Tandem objiciunt, me meminisse debere, Principem adfcitum nuper esse ad Reipublicæ gubernacula ea lege, ut paterna placita de Augustana



Confessione rata haberet: quoniam vero approbare ea jam nollet, neque se amplius promissa fide teneri. Majores suos olim sponte se se subjecisse Austriæ Principibus; quare & nunc de alio sibi Principe providere posse, qui velit, & possit eorum conscientia consulere. Hæc & multa alia & dicta, & facta, quæ omitto. Et videbantur quidem mordicus in hac obstinatione sua perseveraturi. Nihilominus post multorum dierum disceptationem, qui in Styria, tandem & hic totius controversiæ finis; idem denique & in Carnioliâ exitus fuit: vicit ubique Principis bonitas efferos illos, atque a privatis affectionibus ad publicæ salutis studia revocavit.

Peractis feliciter Comitibus FERDINANDUS quam lætus, de obtentis in hostem auxiliis, tam anxius de tuendis adversus eum Provinciis, illicet confinia petit & lustrat; Canisam, Coprenitium, & similes arces limitaneas potissima nostrorum propugnacula, ubi opus est, restaurat, & majori præsidio munit; Principum etiam vicinorum opem flagitat, crebrisque sollicitat nuntiis. Exemplum scilicet præbuit Provincialibus suis, quidnam ingruentibus belli calamitatibus factu esset opus. At illi nulla horum  
 soli-






solicitudine tangebantur; rursus noctes, diesque de stabilienda Religione consultabant, huncque in finem rursus sua conventicula habebant, ut qui sibi persuaderent, se sub hoc Principe nunquam ab impugnatione Catholicorum fore securos, nisi novæ Religionis exercitio, quod CAROLUS eis indulserat, confirmato. Quomodo autem confirmationem hanc obtinerent, hoc opus, hic labor erat. Nam in FERDINANDO nihil amplius habebant spei, cujus verum erga fidem Catholicam zelum jam noverant: in externis autem Principibus non parum apparebat difficultatis; tamen quod ejusdem essent Religionis, in eorum favore plurimum confidebant: ad Principes igitur Protestantés Imperii se convertunt; hos & literis & nuntiis interpellant, opem & patrocinium rogant, seque iis in clientelam commendant. Pragam quoque certos homines ablegant, qui eadem de re tam Imperatorem, quam Consiliarios tentarent. Sed hic quidem operam lusisse, nobis ex aula Imperatoris significatum fuit. Quod autem a Protestantibus responsum abstulerint, cum aliunde non constet, ex eventu judicare licet: nil enim opis unquam, nihil commendationis ab eis profectum vidimus: haud dubie noluerunt prudentissimi Principes illis patro-




trocinari, ne pessimo exemplo subditis in Magistratum delinquendi fenestram aperirent: quod utique debebat non nihil retundere illorum insolentiam; at nescio quomodo fecit insolentiores.

Quanquam ea fere est natura hominum desperatorum, ut suis defraudati votis toti vertantur in rabiem? quo in genere præcipue per id temporis excelluere Carinthe, & cum primis Cives Villaci, quod percelebre est Carinthiæ Superioris oppidum, quorum nota sunt sacrilegia. Hi sunt, qui olim Sacerdotem nomine Jacobum, propterea quod populum a Lutherano dogmate dehortatus esset, ausi sunt in vincula conjicere, deinde dierum aliquot inedia bene vexatum & debilitatum, revinctis post tergum manibus in forum producere, ac denique publice virgis cæsum in exilium amandare. Vidi ego hominem postea Salisburgi, quem & Tragœdiam hanc in publica Archi-Episcopi mensa commemorantem audivi. Actales hi olim fuerunt: faxit Divina bonitas, ut quondam evadant meliores! Sed amplius audi: advenerat deinde Villacum Patriarcha Aquilejensis, ut Templum Parochiale suæ Diœcesis, quod Villacenses illi olim ademerant, recuperaret: oritur ad ejus po-  
 stu



stulata tumultus, concurrunt armati cives,  
& opifices; spectat res ad cædem; jamque  
domus Patriarchæ undique cincta erat ar-  
matis; sed opera & virtute Vice-Comitis  
Bambergensis Georgii a Stadion, qui tunc  
Villaci eadem de causa præsens aderat, fa-  
ctum est, ut Patriarcha una cum suis evase-  
rit illæsus. Eodem hoc tempore Cives ad  
S. Vitum tribus infra Villacum milliaribus  
& ipsi magis, quam antea insolescere, ne-  
que diem fere absque aliqua Religionis in-  
novatione transmittere. Ea propter Prin-  
ceps serio mandaverat: ut tandem huic lu-  
do finem imponerent, nec Catholicis mayo-  
ris querimonix causam præberent. Illi au-  
tem accepto mandato, quo absterreri cohi-  
berive debuerant, libertate peccandi ampli-  
us animos ad feritatem solvunt, aususque  
nefandos nefandioribus accumulunt. Con-  
sulares Catholicos, qui tunc adhuc supersti-  
tes erant, in contemptum Principis loco de-  
jiciunt, & pro eis suæ farinae homines substi-  
tuunt, legemque sanciant, ne posthac ul-  
lus Civitate donetur Catholicus. Etli au-  
tem tanti sceleris auctores Græcium postea  
captivi ducti, & in custodia aliquamdiu de-  
tenti fuerint, tamen paulo post pro tanti fa-  
cinoris indignitate submisisse supplicantibus,  
Principis benignitate, venia & impunitas  
data




data fuit. O clementia nullius unquam herois benignitati secunda! Vere de illo dici potest, quod de generoso Leone observatione quidam tradiderunt, quod infestissime sollicitatus ab homine, modo sit illaesus, non unguibus eum lacerat, nec injuria afficit, sed quatit solum; atque ubi ita perterruerit, dimittit; quod ita Ovidius scribit: Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni.

Oppidani quoque Wolffspergenses antea magna ex parte expunctis Catholicis, nunc de extinguendis reliquiis solliciti erant. Contigit autem in eo furore, ut duo Societatis JESU Sacerdotes per oppidum iter facerent, ubi, ecce tibi! medium fori dum praetergrediuntur, & habitu ab uno agniti tales proclamantur, adsunt mox opifices & reliqua hominum colluvies, quaerunt & inquirent; interim pergunt illi, sequuntur isti supra mediam partem miliaris clamoribus & lapidibus. Sed illi beneficio sylvarum & semitarum salvi ad me Lavantum uno infra Wolffspergam miliarium pervenere, adeo lassus & defatigatus, vix ut animam traherent; quos ego hospitio exceptos quatrimum refeci: Sigismundi alteri; alteri Bartholomaei nomen erat. Apud Clagenfurtum deni-



nique quidam Præpositus dum Civitatem negotiorum suorum causa permeat, in quosdam e civibus tam vini, quam Lutheri spiritus plenos incidit, a quibus probris primum, tum etiam pugnis & verberibus male acceptus, cum jure naturæ sui defensionem opponeret, ab ipso Judice Civitatis, cujus ille concitato clamore fidem, auxiliumque implorarat, in carcerem compingitur, unde nisi multis Principis mandatis liberari non potuit. Hoc vero tam contumax & impium facinus impune ab iisdem latum, eo quod Provinciales, quorum potestati ea subest civitas, factum istiusmodi nefaria inter numerare noluerint; quippe contumelias, & injurias Catholicis impositas velut obsequium DEO gratissimum præstitum ad comulum referebant meritorum. Atque istiusmodi nocendi facultate, & orthodoxos vexandi frequentia Carinthia æstuabat.

Hic jam cogitandum, quid monstri interim perpererit Styria. Utriusque vero & Carinthiæ & Styriæ immanitatem adæquabat Carnioliæ, cujus vexationes, calumnias, & modos injuriarum, quibus nostri afflictæ fuerint, non facile quis recensuerit, neque illis ego describendis, ac consignandis, nunc amplius calanum meum obtundam. Id affirmasse satis



fatis sit, pejori loco tunc fuisse Catholicos Lutheranis, quam sint, ac unquam fuerint Hebræi Christianis, vel leprosi sanis; ad cachinum & ludibrium expositi omnibus. Quæ omnia cum ad Principem essent quotidie pene ex singulis locis perscripta, ex imo ille corde ingemuit, & vero non immerito etiam excanduit, quod in tanto Patriæ discrimine tantopere in Catholicos debaccharentur adversarii, & quasi propriam eam reputavit ipse calamitatem: quamobrem graviter Provinciales coarguit, quod ex ipsis nonnulli harum calamitatum, & ærumnarum perpetratores, alii fautores, plerique stimulators, nonnulli spectatores essent otiosi. Monuit vero minis etiam additis, a persecutionibus, & id genus acerbitatibus abstinere; non sunt, inquit, belli tempore excitandæ seditiones, quæ supremam etiam Reipublicæ perniciem, nunquam commodum vel utilitatem attulere. Sed laterem lavit, nullum paternum hisce admonitionibus cepit fructum; sed in deterius ibant omnia.

Accidit autem, ut per hos dies Prælati Carinthiæ, Principi supplicarent pro restitutione Templi Clagenfurtensis. Habere ajunt Sectarios in ea Civitate Ecclesias duas, quo-



quorum alteram nuper construxerint; hanc vero se repetere, ut habeant publicis conventibus & Judiciorum temporibus, ubi Sacra sua peragant, & res Divinas celebrent. FERDINANDUS benigne petitionem accipit, tanquam juri & rationi consentaneam. Et quanquam ædis illius Sacræ restitutionem Provincialibus imperare poterat, tamen tam bonus atque modestus fuit, ut Proceres Provinciæ ac Optimates ad restitutionem paterne adhortaretur, & placide potius, quam violenter justitiæ tueri, ac moderare vellet facultatem. At illi templum istud non in sua, sed in civium potestate esse respondent. Porro cives requisiti, a Provincialibus se dependere asserunt, cum his agere oportere. Non verebantur tam Nobiles, quam cives hoc modo ludificari Principem, & in causa tam æqua, tam inepte & injuriose tergiversari, & nodum, ut ajunt, in scyrpo quærere; tamen adhuc vide bonitatem Principis: iterum nuntium cum literis Clagenfurtum mittit, quibus Proceribus persuadere conatur, ut Templum vi olim occupatum, nunc jure repetitum, legitimis dominis restituant, suoque, quod nuper construxerunt, sint contenti, ut pax & concordia servetur: æqualitatem enim esse altricem pacis. At nihil



apud duræ crevicis homines obtinet. Of-  
 fensus igitur non immerito hac multiplici  
 repulsa Princeps per Commissarios Proceri-  
 bus inobedientiam exprobrat, quod tot Pa-  
 ternis monitis non paruissent, rursusque  
 Templum veteribus Dominis cedere jubet  
 omni procrastinatione & exceptione rejecta.  
 Quanquam consilium hoc non omnes pro-  
 barent Consiliatii, eo quod periculosum pu-  
 tarent apud insanam multitudinem, qualis  
 tunc esset Clagenfurti, de Templo vindican-  
 do contendere; attamen FERDINANDUS Ze-  
 lo Religionis nostræ repletus, cum fiducia  
 in proposito pergit, hæcque, ait, opportu-  
 na est Catholicis opitulandi occasio, unde  
 ne minimum quidem potest esse periculi:  
 quid enim justius, quam ablata reperere;  
 quid autem æquius quam aliena restituere?  
 nemo profecto, si modo sanæ sit mentis,  
 vitio mihi vertet, si Ecclesiam hanc Ca-  
 tholicorum propriam ex iniquis & violen-  
 tis adversariorum manibus vindicavero,  
 atque in pristinum statum asseruero. Vo-  
 luit autem & me una cum cæteris Com-  
 missarium suum esse in hoc negotio.

Profectus igitur una cum illis Clagen-  
 furtum, Proceribus convocatis manda-  
 tum Principis exposui, & ades DEO sacras  
 mul-





multis ac variis rationibus repeti. Respon-  
sum datum : Templum hoc multis ante an-  
nis ad novæ Religionis institutum , mag-  
nis cum sumptibus accommodatum ; & tur-  
rim utramque campanarum ita innovatam ,  
ut novam potius fabricam excitasse , quam  
veterem restaurasse videantur ; habere dein-  
de justam causam , quo minus possessione  
abirent vacui , nisi fortasse sumptus , qui  
magnam pecuniæ summam efficerent , a  
nostris refunderentur. Ego vero , non est  
opus , inquiebam , altercatione , ubi Prin-  
cipis urget mandatum ; templum Catholi-  
corum postulo. Instant illi : Templum esse  
Provincialium , a quibus ipsi nullam habe-  
rent abalienandi potestatem , sed negotium  
hoc ad Conventum generalem pertinere ,  
atque in eo disceptationem hanc finiendam  
esse. Effugiis his frivolis & ineptiis nos di-  
es aliquot detinuerunt , quibus ut finem im-  
ponerem , vehementius urfi mandatum Prin-  
cipis , cujus iram & indignationem caverent :  
ita tandem factum , ut Proceres habito con-  
silio , sive timore , seu ratione adducti , per  
Consulem Civitatis mihi claves Ecclesiæ  
transmitterent , ejusque occupandæ pote-  
statem facerent : acceptis ulnis utrisque cla-  
vibus , templum mox ingredior , & Páro-  
cho illud cum potestate exercendi cultus di-



ni trado. Pulsantur tum campanæ, & Canticum Augustini & Ambrosii ritu Gregoriano decantatur. Interea fit concursus hominum, ad quos ego, ne frustra venissent, e suggestu de vetere Ecclesiæ usu sermonem habui. Audita fuerunt inter concionandum hinc inde nonnullorum murmura, pedumque complosiones, tanquam indigne hanc Religionis mutationem ferentium: stabant & forinfecus plurimi, quorum aliqui lutum, alii lapillos per fenestram in Templum jaciebant, haud dubie ad seditionem spectantes, modo Catilinam aliquem, vel Zvinglium nancisci ducem potuissent. Sed bonus e cœlo DEUS conatus eorum inhibuit, nosque peractis omnibus sospites ad nostra perduxit. Pergratus hic accidit FERDINANDO successus, quem pro reliqua reformatione optimi ominis ergo accepit; exhilaravit, adeoque animavit Catholicos, ac potissimum ordinem Ecclesiasticum, qui hac qualiquali victoria respirare, deque collapsis pene rebus suis saltem melius sperare coepit.

Verum eo magis æmulo passu. sed malo Sectariorum gliscebant audacia, qui si olim indignari perturbatique, tunc furere, & ita in Catholicos sui quasi impotentes visi sunt.



sunt insanire, ut qui pluribus eos affecisset contumeliis, is obsequium DEO gratius præstitisse crederetur. Neque solum populus, sed ipsa Nobilitas ita turbulenter in nostros desæviit, ut nullus esset injuriarum finis aut modus. Ad hæc vero classicum cecinere Prædicantes, quorum impulsu & applausu fiebant omnia, ut qui præ cæteris, si Catholicorum vires convalescerent, quæ jam desperatæ nihil pene formidinis habuerunt, suæ pelli timerent; eorum deinde & Procerum A catholicorum consilia omnia unum id petebant, quo modo nostrorum sublatis præsiidiis Catholica Religio labefactata omnino pessum iret, qua in pessima cogitatione, & furore impotente sui inter alia nostris iterum Clagenfurtense templum ereptum fuit: ad hæc unus quidam e præcipuis Carinthiæ Satrapis ausu temerario in Præposituram Creichensem audacter involat, Sacerdotes fugat: & pro eis Lutheri ministros mittit. Volebant nimirum his facinoribus ostendere, se nec victos a Principe, nec ipsos cedere; ne si prorsus nihil agerent, eorum apud Populum Religio vilesceret, & auctoritas. Ubi vero ad aures Principis id delatum, permotus ille, ut debuerat, facti irreverentia; Satrapam illum Græcium citavit, & renitentem tertio demum



dato fortunarum denunciata poena comparere coegit, nec inde nisi prius in integrum restituta Præpositura potestatem abeundi fecit; Templum etiam Clagenfurtense eadem severitate jure legitimo recuperavit.

Ea res plurimum terruit, & exulceravit adversarios; unde factum est tantum illorum in nostros odium, ut neque in functionibus, neque in Consiliis publicis, neque in familiaribus congressibus, sed neque in hospitibus iter facientes locum haberent. Idem accidit in judiciis, ubi lites & controversiæ Politicæ dirimuntur, in quibus ego ipse nonnullos vidi causa cadere ob id solum, quod cum iis in doctrina & fide non conspirarent; eoque res progressa, ut qui cum nostris commercia haberent, infamia notarentur omnes, causarumque ea fuit una, cur neminem eorum tametsi alias vel maxime affectum Catholicæ conciones acciperent auditorem; nam talis aut penitus condemnabatur, aut graviter mulcæbatur. Quæ cum essent intolerabilia, Princeps etsi sæpe a nostris interpellatus, & sollicitatus, tamen Republicæ causa tunc dissimulavit. Nam rumor increbuerat, Turcis esse constitutum, ut obsidionis periculum & vim Canisæ



facerent, cui proinde præsto esse oportere-  
ret. Quare iterum Conventus Styriæ,  
deinde in aliis Provinciis cogitur. Desig-  
nato jam die in Procerum Styriæ frequen-  
tia FERDINANDUS de incumbente Patriæ pe-  
riculo prudenter differit, & quia malum  
esset Reipublicæ & domesticis commune,  
quam potest maxime cohortatur, ad ani-  
mos serio admittant, & qui illud impedi-  
endum, collatis in medium rationibus sa-  
pienter statuunt; ad quod Orthodoxi qui-  
dem paratos se exhibent; Novatores autem  
deliberatione inter se habita rursus suum  
sibi Religionis exercitium confirmari pe-  
tunt; libellum præterea offerunt plenum  
gravaminibus ob violata eorum privilegia,  
& læsam conscientiam, quorum subleva-  
tionem postulant, nulla prorsus de publi-  
ca re mentione facta.

FERDINANDUS quoad gravamina, ea fa-  
cile diluit, quæ non vera sed fictitia esse  
ait, suamque innocentiam manifeste de-  
monstrat; contra vero de injuriis sibi il-  
latis, deque sua & Divina majestate læsa  
graviter conqueritur, quod tamen deli-  
ctum illis Reipublicæ causa condonare pa-  
ratus sit, modo & ipsi officium, quemad-  
modum fideles subditos decet, facere ma-  
lint.



lint. Quod vero ad Religionem attineret, intempestivam esse de ejus negotio contentionem; patriæ potius salutis, cui communis Christiani nominis hostis insidiatur, una secum operam navarent, ne quid illa ipsorum forte culpa vel negligentia capiat detrimenti. Accepto sapienti admodum responso adversarii biduum consultant, dum coram admissi initio Ordinum Styriæ præclara in Rempublicam merita recitant, quæ ajunt FERDINANDUM non agnoscere, longe CAROLO Patri absimilem esse, a quo liberæ Religionis gratiam obtinuissem, quam ipse rogatus aliquoties confirmare recusaret. Id vero male affecti animi signum esse, atque ex eo quoque constare, quod ipsos Subditorum loco haberet & tractaret, qui tamen Subditi non essent, sed Vasalli, & tales quidem, qui plurimis gauderent privilegiis & prærogativis. Rogant demum, liberalius posthac eos habere velit, & vel nunc tandem voti compotes facere; alioquin se ex tempore capturos consilium, suæque conscientiæ aliunde prospecturos esse.

Admodum displicuit FERDINANDO tam impudens oratio, quam & reprehensione dignam judicavit; ira tamen ob instantem



Patriæ necessitatem opportune pressa, omnia modeste tulit, eorumque insolentiæ, quam non merebantur, omnem exhibuit affabilitatem, edoctus Sapientum consilio, benevolentia potius, si possis, animos capere, quam acerbitate alienare. Itaque benigne respondit, postulata eorum non esse hujus temporis, neque in hoc præsentis Patriæ discrimine cum recta ratione consentire. Commune periculum communi consilio & auxilio propulsandum esse. Ne igitur Patriæ, ne sibi ipsis deesse velint, sed more majorum pro aris & focis præstarent partes omnes, & controversias de Religione missas nunc facerent. Deinde nonnullos ex Primoribus seorsim affatur, officii admonet, adeoque ne reniti salutaribus monitis velint, orat. Quod cum sæpius cum plurimis fecisset, ita demum hac usus humanitate & mansuetudine eos flexit, ut una cum nostris ad communem consultationem descenderent, cujus summa fuit, ut Canisæ de majori præsidio, de annona, & de reliquis ad defensionem necessariis mature prospiceretur. Quod equidem FERDINANDUS diligenter postea præstitit, qui & Imperatorem de hostium machinatione certiores fecit, auxiliaque petiit & obtinuit, Sed incassum omnia. E-



tenim Canisæ Præfectus homo Lutheri studiosissimus sive proditione, ut aliqui volunt, sive pusilli & timidi animi natura, ut cæteri sentiunt, etsi rebus omnibus ad tuendam arcem sufficienter instructus, eam tamen post mensuram obsidionem, quo tempore jam nivibus terra obrigescere, & frigoribus congelari, ideoque & hostis ipse solutionem obsidionis cogitare cæperat, eam tradidit. Hujus deditiois dies, tristi observatione dignus incidit in Mensem Novembrem; Diem 7. Anni 1601.

Accepta clade Canisana vehementer trepidatum est in omnibus istis Provinciis, quæ jam ob tantam Turcarum vicinitatem supreme periclitabantur; hunc tamen timorem non adeo præferre, imo potius exultare visi sunt adversarii, utpote quibus ea firmiter ledebat opinio: quoniam Princeps in istis Patriæ angustiis neutiquam posset illorum carere auxiliis, idcirco si iis uti velit, posse compelli ad consentiendum ipsorum de nova Religione placitis, quæ ad scopum omnia deinceps Consilia collimabant. At FERDINANDUS interim quid & Patriæ & Subditorum commoda postularent, meditatur. Quamobrem iterum Conventum indicit Ordinum Græcii: in





eo FERDINANDUS pro more , Ordines instantis mali admonet , eorumque consilium & opem expetit. Hic præsto sunt Catholici ; militem , annonam & pecuniam pro rationum suarum modo quisque promittit , non item Sectarii : Conferemus , inquit , & nos in hostem non modo vires , sed facultates omnes nostras , si prius libertas nobis conscientiae confirmetur. Quam quod sæpius magna cum immodestia & importunitate apud Principem urgerent , nonnihil substomachans respondit : antea aliquoties declarasse suam de Religionis libertate sententiam , nec aliam in præsentia esse mentem ; ipsorum postulata legi divinæ , bonis operibus , & suæ conscientiae repugnare , adeoque non posse se illis annuere. Subita hæc & inopinata responsio adeo concitavit adversarios , ut ex eo tempore deinceps nullum non petulantiae genus in Orthodoxos exercuerint , contemptis omnibus Principis Mandatis , Decretis , minis , & objurgationibus.

Et quidem omnium præcones & antesignani erant Prædicantes , quorum petulantia , temeritas , & impudentia in eo potissimum apparuit , quod vel ipsi Principi suo exinceps honorem habuere nullum , seu  
pub-



publice, seu privatim id faciendum esset. Audi, sed bilem (quæso si potes) contine: accidit per id temporis, ut Græcii transiret pontem Muræ una cum Serenissima Matre Principibusque cæteris FERDINANDUS, in quo tum invicem sermocinabantur Prædicantes duo: hi conspecto Principe, cum ejus declinare non possent præsentiam, ne tamen propterea honorem transeunti habere cogerentur, data opera tectis capitibus sua illi terga obverterunt. Ubi hoc e cubiculariis quidam animadvertit; vis, ait ad FERDINANDUM, impudentes hos nebulones ob exhibitam irreverentiam in profluentem præcipientes agam, vel pileos saltem eorum de capitibus excutiam? cui subridens FERDINANDUS: quid, inquit, petis? sine impudentes impudenter agere; an nescis id genus homines tam arte, quam natura in DEUM semper esse contumeliosos, & in Magistratum irreverentes? his dictis confestim subjunxit Serenissima Mater cæteris Principibus audientibus: ego vero inquit & conspectum horum hominum abominor, & reverentiam plane detestor. Rescivit paulo post hoc ipsum, quod ita acciderat, Capitaneus Provinciæ, novæ & ipse doctrinæ Sectator, nec patienter tulisse, sed pleno stomacho dixisse fertur:



fertur : vereor ne tandem impudentia sua nostri Prædicantis sibi , nobis , & doctrinæ nostræ supremum concilient exitium , quod utique non inane fuisse vaticinium res ipsa postea declaravit. Sed hinc ad majora transeamus , ac quid populus , quid Nobiles commiserint , videamus.

Inter alia , duo per id tempus acciderunt memoranda hoc loco Sacrilegia , quorum alterum Clagenfurti , alterum in agro Solienti , utrumque in Carinthia contigit. Clagenfurti Sacerdos Sacrosanctum peragit Missæ Sacrificium ; hunc Consecrationi jam proximum , Lutheranus quispiam improbo actus dæmone a tergo de repente adoritur , atque vi magna humi prosternit, prostratum pedibus furiosus conculcat , & subjecto jam in collum fune gulam elidere nititur , & fecisset utique , quod agebat , quemadmodum ipse postea confessus est , nisi præsentium ope , qui ad audiendam Missam convenerant , e manibus Sacrilegi illius fuisset liberatus. Compactus ille in carcerem & examinatus , haud aliam facti sui rationem reddidit , quam se ad tantum facinus perpetrandum , partim bonorum ac DEI amantium virorum consilio , sed potissimum instinctu supremi Numinis



minis impulsus esse. Impium prorsus & Sacrilegum facinus ; sed cui alterum simile immanitate & barbarie nihil omnino cedit : Templum est celebre uno infra Clagenfurtum milliari in agro Solienti , assumptæ Virgini sacrum ; quod sub ejusdem celebritatem annuam , pietatis amatores voti solvendi causâ adire solent. Cum hoc per id temporis plurimi facerent , sibilis & hujusmodi maledictis conscinduntur ; dein paulatim a verbis ad verbera prosiliunt Lutherani , præterea fœminas , & puellas lascive tractant , subductis ac supra capita eorum colligatis vestibus vias suas abire jubent. Hinc vero e vestigio sequuntur peregrinantes , cum quibus simul Ecclesias , quæ ab ipsis in itinere invisebantur , ingressi , ad Altaria more Sacerdotum Antiphonas aliquot decantant , peregrinis bene precantur , eosque demum copiosa aqua lustrali perfundunt , quibus finitis templum ipsum incensi loco fæde commaculant , Imagines conspurcant , & præterea verbis & factis intolerandam exercent nequitiam. Erat tum magna de re hac nostrorum querimonia : quare decretum erat Principi a sacrilegis istis , quorum erant numero tres , promeritas pœnas expetere ; quos & vadimonium obire , sibi que Græcii per  
 appa-




apparitorem sibi jufferat : sed quo minus comparerent , obstitere Provinciales , qui id suis Privilegiis & immunitatibus adversari dicebant.

Dum hæc in Carinthia fiunt, non minor erat in Styria insolentia , cujus unum hic exemplum recensere lubet. Oppidum est ad ferri fodinas superioris Styriæ , bidui supra Græcium itinere , insigni templo , & cœmeterii muro in modum propugnaculi conspicuum : hic oppidani avitæ Religionis , cui hæctenus addicti fuerant, pertæsi , in tanta ista rerum ac temporum perturbatione ad Lutheri partes & ipsi deficiunt , Parochum exturbant , & Prædicantem verbi substituunt. Verum quia non nesciebant , id facinus Principem pro sua in Religionem Catholicorum pietate ægre admodum , ut par erat , laturum , nec non justa animadversione vindicaturum , cum ferri fossoribus illius loci , quorum bis mille numerantur , adversus vim omnem , si quæ intentaretur , conspirant , arbitran-tes se posse hoc modo Principis conatus eludere , & potentia resistere. Quod ubi innotuit , sententia quorundam Consiliariorum erat , ut subito vis vi repelleretur , & gliscenti rebellionis , antequam vires



vires sumeret, occurreretut. At FERDINANDUS accensam rebellionis flammam non crudelitate, a qua penitus abhorrebat, sed solita & insita sibi benignitate restinguere cupiens, virum isthuc unum e suis Consiliariis misit, hujusmodi rebus agendis idoneum, hoc est prudentem & moderatum, qui populos & oppidanos ad sanio-rem mentem revocaret, & omnia, quantum fieri posset, in integrum restitueret. Is alacriter mandata suscipit, & ad locum destinatum properat. Verum antequam oppidum ingrederetur, per exploratores proditus, obviam habuit non honoris sed ludibrii causa multitudinem ex vario hominum genere collectam, quæ joculariter interrogat, unde ipse veniat? quî Princeps valeat? quid adferat novi? interim ad hospitium pervenitur, huc cum eo intrant, quotquot domus capere potuit, & adhuc impransum jubent mensæ accumbere, & præter vinum nihil apponunt. Tunc præbicit hic, præbicit alter, & respondere cogitur. Inter bibendum quæstiones movent, qua de causa advenerit? Princeps ubi sit? quid novi moliatur? quam sequatur Religionem? cui parti faveat? & id genus alia contemptim, & cum sannis omnia. Monuit ille quidem & hortatus est

eos,


 eos, ab his ludibriis in DEUM & Magistratum sibi temperarent. Sed oleum erat ad caminum. Jam tribus pene horis in hospitio divexatus, equum jussus conscendere, per forum ridicule circumducitur, variis varie vociferantibus; inter quos non deerant, qui trucidandum inclamarent; sed ea demum erga ipsum usi sunt humanitate, ut salva vita abire permiserint.

His novis Græcium allatis, mirum dictu, quam in sinum riserint Provinciales; Prædicantes vero præ nimia voluptate plane concutiebantur cachinnis; Græcenses quoque invicem sibi defelici Sociorum successu gratulabantur; omnes vero exinde in Catholicos plurimis modis exultarunt, tum sua sponte, tum provocati classicis seditiosorum ministrorum assiduis, quibus perpetuo seditiosæ voces istæ personabant: furere sathanam & coerceri; premi Verbum DEI, at non opprimi; Evangelium pati persecutionem, at vincere; Antichristum fremere, sed operam perdere: & illi, & sathanæ quantisquantis rentendum viribus. Concitati tot tantisque vociferationibus cives, denuo ad sua redeunt conventicula; quæ cum crebrius agitarent, nec tamen, quo tenderent, certi

F

quid



quid sciri posset, suspicati sunt nonnulli, eos aliquid in Clerum moliri. FERDINANDUS id animadvertens, simulque intelligens furentium Lutheranorum insigni cum impietate conjunctam audaciam ad summum excrefcere, justo animi dolore percitus, omnes suas cogitationes eo flexit, quo tandem modo perniciosam Sectam, qua nunquam antea mundus vidisset pestilentiorcm, ex omnibus suis Provinciis relegare posset: quæ nisi penitus extirpata, plus mali secum allatura esset, atque semper majoris perturbationis, ac periculi propagatura surculos. Etsi vero jam sciret, quid agendum esset; neque hoc in negotio sua destitueretur prudentia, tamen amans consiliorum Princeps Consiliarios convocat, ad eos verba faciens: Satis, inquit, indultum Novatoribus Religionis, ac nimio plus fortassis etiam quam res ipsa ferat. Tempus monet, ut frenum illis injiciam, qui hæctenus iudulgentia deteriores non meliores facti sunt. Ac ego quidem, cujus jam diu nimium est læsa patientia, constitutum habeo, horum malorum incentores, & Sectam Lutheranam de Provinciis meis stirpitus evellere, ac penitus eradicare, qua salva nec ego, nec Provinciæ meæ esse poterunt. Sed de hac re aveo vestras audire sententias.

Col-





Collaudant hic Consiliarii pariter pi-  
am Principis mentem in extirpandis Secta-  
riis, at quando, ac quomodo id fieri de-  
beat, de eo inter se dissentiunt. Alius dif-  
ferendum ait negotium, ob bellum Turci-  
cum & Adversariorum potentiam, quibus  
pares non essent Catholici, ac proinde ex-  
pectandam rei melioris occasionem. Ali-  
us vim omnem, sive nunc, sive posthac  
adhibendam dissuadet, quod ea apud præ-  
fractæ audaciæ homines, quales Luthera-  
ni essent, plus posset parere periculi, quam  
commodi, sed paterne tractandos, & nunc  
admonitionibus, nunc reprehensionibus ad  
officium revocandos esse. Alius publicas  
disputationes & amica colloquia inter Ca-  
tholicos & Lutheranos instituenda consu-  
luit, quibus isti de errore suo convicti, ad  
lucem veritatis Catholicæ revocari possent,  
ut nuper in colloquio Badensi contigisset,  
in quo Marchio ipse conversus esset. Ali-  
us Principis approbat sententiam, & vel  
hoc ipso jam momento, quantum fieri po-  
test, procedendum ait; moram enim o-  
mnem in hac causa esse periculosam; atque  
illius voluntatis & decreti Prædicantium  
primi vim sentiant, & ante cæteros omnes  
ex Urbibus & Provinciis ejiciantur, ut qui  
furiis factiosorum & malorum omnium in-



cendiis faces ministrarent : iis profligatis fore facile , ut seditionis flamma consopatur , animis populi authorum absentia refrigerescentibus. His attente auditis FERDINANDUS singula penitus sibi considerata sumit.

Interea Græcenses conventiculis occupantur , quæ cum jam frequentius agerent , visi sunt aliquid monstri alere & seditionem moliri ; nec de ea cives modo , sed etiam Consulares , quorum autoritate cives ex prisco more gubernantur , quod ea omnia conniverent , vehementer suspecti fuere : horum conatus enpiens præpedire FERDINANDUS , Consulares ante omnia amovere , & pro eis Catholicos subrogare constituit , qui Principi fideles essent , & cives in officio continerent ; arque hoc ipsum mihi , quantum absque populari tumultu fieri posset , exequendum commisit. Non caruit quidem ea res periculo ; tamen in verbo Principis mandatum subeo , sed antequam ad rem progredior , prius mihi de subrogandis Consularibus Catholicis circumspicio , & numero decem reperio optimæ mentis & in fide nostra bene fundatos viros. Hi promptos se quidem ad munia illa obeunda præbebant , sed de cessione



ne Lutheranorum Consularium vehementer  
dubitabant, quibus ego: non est, inqui-  
ebam, quod de ea re solliciti sitis: paulo  
post eos Principis autoritate exauthora-  
tos videbitis. Erant autem mihi Consula-  
res illi Lusherani antiquitus noti, & prop-  
terea veteris amicitiae causa ad prandium  
eos invitavi: singuli invitationi concedunt,  
& hora meridiana se sistunt. Prandium  
lætis atque jucundis colloquiis conditum  
fuit, nec ulla ingrata controversia turba-  
tum; eo vero absoluto seorsim jam illos e-  
voco, doceoque modestis rationibus, non  
posse constare Rempublicam, in qua dele-  
gati rerum moderatores, quales in urbi-  
bus essent Consulares, cum suo Principe  
de Religione dissentirent; nec inter Sub-  
ditos sincerum affectum consistere, quorū  
esset diversa Religio. Si igitur recte vel-  
lent munere suo fungi, Sectæ Lutheranae  
valedicerent, seque in Religione cum suo  
Principe conformarent; sin e contra; aliis  
locum cedere ne recusarent. Illi his au-  
ditis attoniti, magno invicem silentio re-  
picere initio, tum seorsim inter se collo-  
cuti in crastinum usque, tempus delibe-  
randi petere, quod lubens eis concessi.  
Postridie reversi liberaliter respondent:  
Quoniam isthæc Principis mens sit, ut non



alii sint urbis hujus Rectores quam Catholici, constituisse se locum potius quam Religionem mutare. Itaque gesto hactenus Senatu ultro se abdicare, ejusque dispositionem Principi liberam relinquere. Eo ex animi sententia accepto responso, mox singulos a Consulari juramento absolvo, eodemque temporis punctulo Catholicos in eorum locum repono.

Nemo explicet, hæc, in re tanti momenti, tam subitanea tamque tranquilla metamorphosis, cum tanto Sectariorum facta præjudicio, quantam Provincialibus pariter ac civibus consternationem attulerit. Et illi quidem in Consulares ut nimium timidos & abjectos, isti vero in Provinciales tanquam incurios & negligentes culpam omnem rejicere, ut qui potuissent, & debuissent suæ fidei Consulares protegere, & Principis conatibus resistere. Supra omnes autem indignantur, & ingemiscunt Prædicantes, qui hanc Consularium reformationem in suum, quod fama & res erat, exterminium tendere omninabantur. Et certe huc princeps consilia direxit omnia. Mandatur a Principe serio, ne posthac clandestina conventicula agitari permittant Græcenses Consulares. Nec diu



diu moratus decretum Consularibus misit, ut caverent, ac serio civibus interdicerent, ne posthac absque scitu & licentia ulla agerent conventicula & consilia, pœna gravissima transgressoribus statuta. Quod illi decretum illico ac serio convocatis in Prætorium civibus diligenter exequentur, monentque omnes, ut pareant, conventicula nocturna & diurna vitent, sibi que a mulcta imposita caveant. Cives perplexi & de salute sua solliciti promittunt obedientiam, seque utcunque morigeros exhibent: hinc deinde cœpit civitas non nihil esse quietior, animusque redire Catholicis. Vidisses tunc Catholicorum prodire libellos supplices adversus seditiosos Prædicantes, & Ecclesiarum occupatores; cum quibus & Græcii Parochus, vir ab ovili suo hæresis extirpandæ cupidus, & hostis Prædicantium singularis comparuit, orans & obtestans Principem, ut quam nuper illi Ecclesiam Parochialem contulisset, eam sartam, tectam contra Prædicantium injurias & violentias tueri vellet: sibi hoc loco competere curam animarum, non Prædicantibus: at hos hæctenus ita eam usurpare, ut nihil ipsi remanserit. Abigeret tandem hos animarum prædones, Ecclesiarum invasores, nec non divinæ atque




humanæ Majestatis contemptores. Nihil ea re FERDINANDO poterat accidere gratius, de qua omnem pro more voluit Consiliariorum suorum mentem inquirere.

Erant autem ex Consiliariis nonnulli, qui iterum bellum Turcicum, iterum adversariorum potentiam, iterum pericula objicerent, & ad commodiorem occasionem rem esse differendam dicerent. Quibus FERDINANDUS aliquantulum excandescens: ecquando ista erit melior, inquit, occasio? an potius deterior sequetur? Ex nostra hucusque tolerantia apud Novatores mea jam pene oppressa jacet authoritas; etiam prope periit Religio; ecquando tandem ad suum resurget statum? occupor forte bello Turcico; at eo ipsi Sectarii nonne in nostram abutuntur perniciem: sed sunt nobis potentiores: ut ita esset, tamen non video, cur vires eorum reformidem. Ago enim non meam sed DEI causam; & DEUS, qui mihi mentem reformandæ Religionis dedit, & causam hanc absque consilio nostro gubernavit ad hoc usque tempus, & protexit, idem quoque vires deinceps suppeditabit, ut quod pro ipsius honore & salute animarum agimus, feliciter eveniat. Dixerat optimus Princeps,



& mox vero DEI & Religionis Zelo plenus, decretum confici jubet, quo Deputatis Styriæ præcepit Prædicantes publicæ pacis & otii perturbatores, adeoque malorum omnium authores, quos ipsi toties moniti compescere nequivissent, seu verius nolissent, spatio dierum quatuordecim Græcio amandarent, absque ulla mora, ne momenti quidem indulgentia; & ut illi ne quidem interea sive e suggestu, sive aliunde loquacitatem suam discordiarum & errorum seminarium populo venditarent. Simile decretum iisdem pene verbis ad Prædicantes destinat, ne ullam ignorantiaæ suæ causam possent obtendere.

En habes Serenissime Archidux primoprimam, ut ita loquar, nostræ Reformationis originem. Nunc audi progressum: Accepto decreto quid Provinciales, quid Prædicantes egisse putas? conticuere omnes, intentique ora tenebant. Stabant attoniti atque suspensi Lutherani, Catholicique. Illi, quid agerent? isti de eventu dubii. Sed o faustum felicitis exitus omen! statim a percepto decreto Prædicantes tanquam cælitus icti fulmine a docendi munere cessant; quid dico; cessant? sarcinas colligunt, & itineri se accingunt, ac deci-



mo demum quarto die, qui ultimus ab eum  
impune iisdem præscripserat, conquisitis  
& convasatis, spectantibus & annuentibus  
Provincialibus una cum liberis & uxoribus  
pridie ejus diei, qui S. Michæli Archange-  
lo festus erat, sub vesperum urbe exce-  
dunt, & vias suas nunquam reverfuri abe-  
unt. Periit memoria eorum cum sonitu,  
& Dominus in æternum permanet. Accidit  
hoc Anno 1598. quo facto FERDINANDUS  
fortunam, imo DEUM ducem sequens pari  
deinde decreto Prædicantes Judenburgo  
in superiori Styria, Clagenfurto in Carin-  
thia, & Labaco in Carniolia fugat; nec  
erat ullus inter illos, qui resisteret, aut  
verbo saltem mussitaret. Visa est super ip-  
sos ruere formido, & pavor, non quo fi-  
des vera justificatur, sed quo conscientia  
iniqua torquetur, & exagitur. Quid  
hoc admirabilius opere? certe non manus  
nostra excelsa, sed Dominus fecit hæc om-  
nia; dextera Domini fecit virtutem.

Pulsis ad eum modum, ut dixi, Præ-  
dicantibus, adversarii collectis paulatim  
animis, ac ex timore confirmatis, rebus  
actis diligenter consideratis, rubore suffu-  
si, invicem intuentur, & alter ex altero  
obstupescens percontatur, quid actum? u-  
bi





bi liberum Religionis exercitium ? ubi Prædicantes ? quæ vis , quæ potentia eos exegerit ? tum sortem quisque suam deplorare , accusare inertiam , quod ad unum Principis decretum trepidassent , & eidem cum tanto Religionis suæ præjudicio paruisent , cui & debebant & poterant obistere. Hinc communicatis invicem consiliis , quomodo cladem acceptam persequerentur , & a Catholicis repeterent , ita furiosis in eos motibus agi cœperunt , ut nil nisi seditionem & cædem anhelarent ; neque jam ullus Catholicorum in civitate vel intra parietes domesticos securus viveret. Inter alia vero spectacula vidisses tam de die , quam de nocte , hinc inde prætereuntes periculose infestari ; Catholicorum ædibus & fenestris lapidatione & lignorum conjectu vim fieri & injuriam , & quod obscænus , sed a moribus talium non abhorret , etiam stercorebus ignominiam inferri , adeo ut nec homines externos ab his incommodis voluerint esse liberos. Venerat forte sub id tempus Græcium Legatus Regis Hispaniæ ad comitandum in Hispaniam Archiducem Austriæ Margaritam , ejusdem Regis filio Philippo , qui nunc ad gubernacula sedet , desponsatam , Sororem tuam : in hujus quoque æde de nocte similis factus est impetus ; interdiu vero e-

jus



jus famuli, dum forte per forum negotio-  
 rum causa transirent, pari peculantia ex-  
 cepti, sese recipere sunt compulsi, quod  
 ipso perpetratum meridie facinus adeo po-  
 pulum & promiscuam multitudinem exci-  
 tavit, ut omnes ad seditionem omnino  
 vergere viderentur. Quæ causa fuit, ut  
 optimus Princeps vim militarem peditum  
 tercentum ad usus ænearum fistularum com-  
 paratorum (sclopetarios vulgo vocant) Vi-  
 ennæ cogeret suæ suorumque securitati, hi  
 ut adessent, celeriter & rumore nullo pro-  
 curatum. Nocte igitur concubia ex vo-  
 luntate & sententia Græcium adducti, cum  
 summo diluculo ad portas urbis excubare,  
 & stationes suas tenere visi essent, maxi-  
 mam tum admirationem, tum consterna-  
 tionem & Provincialibus & civibus attule-  
 re. Videbant enim hoc urbis præsidio om-  
 nem sibi viam imposterum in Catholicos  
 debacchandi, omnemque tumultuandi occa-  
 sionem esse præreptam. Ita civitas quidem  
 tunc quietior facta, Novatores repressi,  
 pax & securitas utcunque Catholicis est red-  
 dita: sed nondum malorum finis.

Diximus superius de Oppidanis in su-  
 periori Styria ad ferri fodinas, quate-  
 meritate & contumacia Principis Commissa-  
 rium.

rium exploferint, a quo fuerunt in ordi-  
 nem redigendi. Unde hoc eodem tempo-  
 re nuncius Græcium venit significans, ho-  
 mines illos duros & agrestes, quales fer-  
 rum subigendi labor requirit, inita cum  
 falis coctoribus ejusdem farinae vicinis con-  
 juratione in armis esse, & jam cœmeteri-  
 um illius loci muro cinctum, una cum  
 templo, muniendi sui causa occupasse; a-  
 ditus quoque & montium angustias, per  
 quas ad oppidum via ducit, interceptisse.  
 Visa est tum Græcii Sectariorum super his  
 novis non obscura lætitia, tanquam com-  
 moda hæc Catholicos subigendi, ulciscen-  
 dique foret occasio. Et profecto sumum  
 inde nobis periculum imminebat, si res il-  
 lis hominibus ex sententia cessisset: sed  
 DEI providentia & FERDINANDI prudentia  
 aliter evenit: ac initio quidem Princeps,  
 ubi rescivit, non statim ad arma profiliit,  
 sed ut est verecundia quadam, singularique  
 humanitate & modestia præditus, se ipsum  
 continuit, vicemque miserorum hominum  
 admodum est miseratus. At cum hac raz-  
 tione nihil eos de insolentia remittere cog-  
 novisset, existimavit quidem interesse Rei-  
 publicæ in fontes animadvertere; sed nec  
 tunc insitam a natura lenitatem & clemen-  
 tiam omnino dissimulare potuit. Ante-  
 quam



quam enim rem ipsam aggredieretur, litteris primum eos de resipiscencia admonuit; cum autem neque his quidquam proficeret, tum demum moderatam pro consuetudine sua contrahens mentem, & insitam humanitatem iustitia temperans, debita eos severitate domare statuit. Mittit igitur nuncios ad Abbates Admontensem, & Neuberghensem, quorum monasteria a ferri fodinis parum distant, utrisque mandans, ut ex suis subditis, quos nosset armis ferendis idoneos, mille deligerent, atque in omnem eventum paratos haberent; se cum tempus foret, & locum, quo ire debeant, & causam profectiois significaturum, armaque singulis subministraturum, Illi mandata sedulo capeffunt, & exequuntur. Interim FERDINANDUS aliquot ingentia vasa omnis generis armatura onerat, & tempore nocturno ad destinatum locum transmittit.

Rebus jam paratis, Joannes Abbas Admontensis promovendæ Religionis Catholicæ studio maxime spectatus, mente Principis cognita, ducis munus obit, & cum mille armatis intempesta nocte per insolitas montium vias, ne proderetur, versus fodinas iter suscipit. Aderat & Andreas ab Herber-

berstorff Baro a secretis consiliis unus Ab-  
batis collega. Hi proximi jam oppido, mi-  
liti causam aperiunt, eumque ad fortiter  
agendum hortantur; tum inter se divisi  
alius cum una parte, alius cū alia in oppidū,  
oppidanis adhuc profunde stertentibus irru-  
it, eodemque momento cœmeteriū effractis  
foribus obtinet. Speculator in turri, quem  
locum editiorem ad eventus periculorum,  
quæ ingruere poterant, prospiciendos a  
suis acceperat, ad fragorem expergefactus,  
are mox & clamore hostilem adventum de-  
nuntiāt; ad signum repente oppidani exci-  
ti numerosi quisque ex domo sua in tur-  
mas conveniant; pariter e vicinis locis par-  
tium homines provocant, & cœptum est  
concurri. Sed ubi vias omnes obsessas, &  
quos vocant sclopetarios ex omni parte di-  
spósitos conspiciunt, abjectis animis & ar-  
mis, quæ furor forte ministrarat, de vita  
soliciti, pedibus, qua poterant, salutem  
petunt. Oppido occupato extemplo Con-  
sulares custodiæ traditi, ac sequenti die  
Græcium transmissi, paulo post ob læsæ  
Majestatis crimen mortis sententiam acce-  
perunt; sed deinde uxorum & liberorum  
interventu, postquam hæresim cum recta  
fide commutassent, vita donati, salvi do-  
mum rediere. Populus quoque, quia ul-  
tro



tro se Principis arbitrio permiserat, immu-  
nis a poena exstitit, tantum ut Parochum  
reciperet, & abjurata hæresi Religioni Ca-  
tholicæ postmodum adhæreret, quorum u-  
trumque subito & alacriter præstiterunt,  
atque in hanc usque diem sedulo observant  
omnes. Prædicans hujus loci diligenter fuit  
quæsitus, sed minime repertus. Rebus ist-  
hic compositis Abbas Admontensis, quia  
cognoerat oppidanos ad salis fodinas, dia-  
rio itinere isthinc distantes, in eadem esse  
conjuratone, iter suum summa celeritate  
dirigit, & nondum albescente cælo oppi-  
dum intrat, & occupat, Judicem & col-  
legas capit, & examinat, reos Græciû mittit,  
cæteris miserere canentibus, tanquam rudi-  
bus & seductis parcit. Nec hic Prædi-  
cantium quisquam inventus est, quorum  
animus in pedes lapsus fuerat.

FERDINANDUS supremi Numinis favo-  
rem agnoscens, ac sequi volens, memo-  
ratum de Herberstorff cum cohorte sua  
in Styriam inferiorem ire jubet. Is nocte  
dieque progressus, uno quasi ictu ex omni-  
bus locis Prædicantes ad solam adventus  
sui famam fugavit; populum vero ubique  
supplicem ad obedientiam Ecclesiæ Catho-  
licæ reduxit, qui successus magnam illi lau-  
dem

dem attulit. Sed tamen Abbas Admon-  
 tensis præcipue est laudatus, qui primus  
 Sectariorum Rebellium impetum fregit,  
 & facillimam reliquæ Reformationi viam  
 reddidit. Cæterum quoniam variis adhuc  
 in locis distinebantur Prædicantes, FERDI-  
 NANDUS publico promulgato edicto omnes  
 ex omnibus suis Provinciis exire jubet,  
 & simul hujus sui mandati executorem per  
 omnes Provincias eundem de Herberstorff  
 designat; sed is antequam se itineri daret,  
 in morbum incidit, quo etiam paucis post  
 diebus extinctus est, vir pius, & prudens,  
 ac certaminibus periculisque pro sincera  
 fide subeundis maxime idoneus. In de-  
 functi Herberstorfferi locum feliciter sus-  
 sectus est Episcopus Seccoviensis, cui ad-  
 juncti fuerunt nonnulli Capitanei, & ex  
 Principis Consiliariis aliqui, atque his  
 omnibus, quo tutior esset atque liberior  
 jussa exequendi potestas, stipatores adjecti  
 fuerunt trecenti (ita eos vocant) Sclo-  
 petarii, quorum præsidio contra Rebelles  
 ac seditiosos, si necessitas foret, uteren-  
 tur. Verum nil uspiam periculi, nil im-  
 pedimenti se objecit; ex voto cesserunt  
 omnia; Prædicantes ubique sua sponte so-  
 lum verterunt, antequam Commissarii ve-  
 nirent, nolentes hirci pro hædis, vel



vitæ vel fortunarum subire periculum; urbesque & oppida abrogato hæretico, libenter admittunt Magistratum Catholicum, templaque Sacerdotibus restitunt, pridem adempta. Sic ubique Ecclesiastici ritus introducti, Sanctorum imagines reparatæ, reparata altaria, signa Lutheranorum abolita; sed & libri de hæresi suspecti diversis in oppidis magno in numero comportati, flammis fuerunt donati; nec hic opus fuit ulla vi, sed plurimi & quidem insignes viri sua sponte vel ipsi attulerunt, vel per alios miserunt, etiam ingentia Vulcano offerenda volumina; delubra vero Sectariorum, quæ ipsi a fundamentis in usum suæ doctrinæ erexerant, pulvere tormentario subjecto per aërem dispersa sunt, & solo æquata. Noluit enim amantissimus priscae Religionis Princeps extare in suis Provinciis aliquot exortæ aliquando hæresis uestigium.

His peractis videbatur jam utcunque satis reformata Religio; & optata Catholicis tradita tranquillitas: at non his quievit Sathanæ furor, qui ne omnino explosus ac victus haberetur, Prædicantem miræ temeritatis hominem excitavit in Austria, qui impugnandæ Reformationis causa, circa idem tempus, quo hæc gerebantur,





bantur , una cum conjugē Græcium venit. Simon illi nomen erat , cognomento Heisingerus , oriundus Lavingia , ut ipse dicebat , oppido Sueviæ. Cum primis Prophetam se esse , & a Cœlesti Patre missum docuit , adversus persecutores Evangelii Rudolphum Cæsarem , & FERDINANDUM Archiducem , Papæ clientes , quos sathanæ non DEI ministros dicebat ; porro ex Prophetæ donis unum illud recensuit , instare nimirum Papistis extremum periculum , quod minimum intra sesquialterum mensem subituri essent. Post hoc ultimum fore iudicium & mundi finem , quemadmodum Pater cælestis illi revelasset. Hortatur igitur privatim & publice omnes ; a consortio & doctrina Papistarum recedant , ne una cum illis imminens eos involvat calamitas. FERDINANDUM ejusque Consiliarios & reliquos sectarios impietatis , tyrannidis & idololatriæ reos paratum manere exitium ; pestiferum Papatum a minimo pendere filo , cujus ultimam ruinam brevi visuri essent. Hæc & multa alia homo ille impie , & inepte. Quamvis autem tam absurda profunderet , non tamen suis caruit fautoribus , jussus initio silere , & abire , ad Christum provocat , cujus instinctu venisset. Uxor illius Eva nomine ,



egregie maritum disputando, blasphemans blasphemantem, calumnians calumniantem adjuvat, dicta & facta probat, & sacris Elogiis ex Moyse potissimum & Daniele confirmat. Magistratus Græcensis cum utroque diu multumque egit, ut dicacitatem ipsorum compelleret; sed hoc nihil erat, quam cicadæ (ut dicitur) uterum scabere. Cum igitur monitis nihil proficeret, & illi nec silere nec abire vellent, utrumque simul carceribus mancipat, ac quæstioni subjecit; sed aliud ex illis extorquere non potuit, quam miras in DEUM blasphemias, convitiolorum plaustra in Principem, & nefanda quoque in Ecclesiam; apud Lutheranos ita moris est. Unde habito super his iudicio in utrumque mortis lata est sententia, quæ cum illis innotuisset, non modo non modestiores, sed etiam impudentiores, loquacioresque reddidit, donec missus ad eos supremus suppliciorum Magister supremum utrique silentium imponeret. Erant quidam, qui putarant, non esse supplicio afficiendos, quod delirare non sapere viderentur? sed factum, nescio quomodo, ut delirarit & carnifex, ut utrique gulam maledicam, præcluso laqueo spiritu obturarit. Et hi soli sunt, quantum memini, in quorum vitam hoc



toto Reformationis tempore necessitate cogente animadversum severius fuit.

His vix e medio sublatis, ecce tibi alium Sathanæ ministrum, Odentium cognomine. Prædicans hic erat in arce Wildensteinio tribus supra Græcium milliariibus, homo supra modum temerarius & blasphemus, ut hoc hominum genus esse consuevit. Sed ita agebat Prædicantis partes, ut non facile posset innotescere. Nam & clausis prædicabat porris; nec nisi fideles & notos admittebat, qui rem celare nossent; id tamen manifestum erat, ipsum nonnunquam excurrere Græcium, & in quorundam domibus declamare: quod animadvertens Magistratus Corycæum constituit, qui hominem observaret & denunciaret. Verum ille diverso habitu modo mendicum, modo peregrinum, modo rusticum mentitus facile insidiatoris conatus elusit; quæ res ad Principem delata aliam hominis intercipiendi rationem excogitavit magis compendiosam & certam. Missus nempe fuit, sub mediam noctem versus Wildensteinium Præfectus Urbani Præsidii cum 50, peditibus, qui una cum illis tota illa nocte per inculta loca profectus, ante Auroram ad arcem pervenit,



ac nulla interjecta mora portam ariete ad hoc accommodato perfregit. Excitus ingenti machinæ reboatu Prædicans, cujus proxime portam domus erat, deque suo ludi corio somnians, nudus e lecto desilit, & ad penetralia arcis longis passibus se recipit, quem miles infecutus, diuque conquistum tandem circa meridiem in cella penuaria inter succidias & carnes fumo duratas latentem reperit. Mirum dictum! quam ille supplex dimissionem petierit, metu poenæ percussus; sed Græcium abductus est, ubi aliquamdiu in carcere detentus; demum justo judicio ad triremes damnatus abiit; sed in itinere Tergestum versus corruptis ductoribus evasit, atque hic finis hujus hominis. Hæc postrema Prædicantium comœdia fuit; quo loco vehementer admirandum est, quod in tanta Prædicantium multitudine, quanta in his Provinciis visebatur, ne unus quidem obveniret, qui se pro sua Religione, proque ovium suarum salute virum præstaret, & vel loqui pro illis, ne dicam mori vel carceres subire vellet; sed mercenariorum est fugere. Dum hæc in Styriageruntur, Episcopus Labacensis jussu FERDINANDI negotium Reformationis in Carniolia pari dexteritate & felicitate conficit, nec il-



lic erat Angelus Sathanæ , qui se oppo-  
neret ; omnes sive metu pœnæ , seu tædio  
novæ ac parum felicitis doctrinæ manus de-  
dere.

Ad extremum , ne quidquam tanti o-  
peris ad consumationem desiderari posset ,  
FERDINANDUS hoc quasi colophone utitur ,  
nempe per omnes suas Provincias edicit ,  
ne posthac ullus aliam , quam Catholicam  
Religionem colat ; si quis autem nolit eam  
amplecti , liberum ei foret , sedem & pa-  
triam quærere , conscientiæ suæ conve-  
nientem. Ab hoc tamen edicto Nobilita-  
tem excipit ; cui liberam quidem relinquit  
Religionem , sed non publicum Religio-  
nis exercitium , ne rursus turbis & sedi-  
tionibus viam patefaciat , quas communi-  
ter secum trahit , haud secus ac magnes fer-  
rum , Lutherana Religio. Ac poterat qui-  
dem , imo debebat indulgentia hac singulari  
contenta esse Nobilitas , verumtamen alii  
patriam spontaneo exilio mutare , quam  
publico Religionis suæ exercitio carere ma-  
luerunt ; quamquam horum pauci fuerint :  
alii vero iterum , ut antea , nescio , qua  
spe ducti , publicum exercitium urserunt ,  
quibus FERDINANDUS semel pro semper in  
hunc pene sensum respondit ; DEUM te-  
stor ,



stor, inquit, & vos ipsi scitis, quod optimo semper in vos animo fuerim, quem etiam nunc retineo & retinebo: testantur hanc mentem meam beneficia, honores, proventus, immunitates, quibus a me donati, cumulati & honorati estis; & si hæc parvi ducitis, adjiciam vobis plura, tantum justa licitaque petatis. Cæterum ulus publicus peregrini vestri dogmatis nec est in potestate mea, et est contra conscientiam meam: qui ergo vobis hoc permittam? animus potius est, dum hæc vita fruar, ludibria omnia Religionum tollere, & antiqua sub Religione meas tueri Provincias. Neque mentem hanc ægre ferre, sed multo magis in meliorem partem accipere debetis, qui perinde vestram ac meam salutem quæro: Quæso ergo, amplius de hac re mihi non molesti sitis: hæc namque mea ultima mens est, quam neque humanæ sapientiæ rationes, neque ulli adversæ fortunæ impetus, neque ipsa inferorum potestas poterit refringere, ac ne violare quidem.

Consternati tam libera & plane heroica Principis resolutione Nobiles ne verbo quidem replicant; verum paulo post novam potiundi sui voti rationem ineunt, nempe

nempe unum & item alterum sui ordinis subornant, qui singulos Consiliarios domi suæ quemque privatim adeant, eorumque opera Principi magnam pecuniæ vim, qua in suis necessitatibus uti possit, offerunt, si in arce quorundam Nobilium novæ doctrinæ ministros permittere velit. Quod quidem illi diligenter perficiunt; simul Consiliariis, si hoc obtineant, non pœnitendæ remunerationis spem faciunt. Sed ea re ad FERDINANDUM delata: videte, inquit, dæmonis astum, qui cum hactenus cæteris suis machinis nihil profecerit, nunc ad extremum mihi mundi Regna pollicetur, si procumbens in terram ipsum adoravero. Quid enim est aliud hæresim permittere intuitu pecuniæ? an vero tanti esse apud me putant ullas pecunias adversarii, ut earum causa velim Religionem prode, locum dare hæresi, meamque vulnerare conscientiam? multum certe eos expectatio fallit. Ego non ipsorum quæro pecuniam, sed salutem, quam Christus Dominus omnibus gratis offert & largitur. Hoc accepto responso Nobiles amplius quidem Principi nihil negotii facessunt.

At hominem suæ Religionis socium



ad Imperatorem clanculum ablegant, cujus  
 Consiliarios adhuc sperabant se precibus &  
 largitionibus posse flectere: verum aliter  
 longe accidit. Imperator namque homi-  
 nem illum aliquanto post comprehensum,  
 ac catenis vinctum FERDINANDO castigan-  
 dum transmittit, quod in sollicitando fidei  
 negotio, fidei ac modestiæ terminos tran-  
 silisset, multaque in contemptum Princi-  
 pis temere effutiisset. Inexpectatum id  
 prorsus erat, at præclarum & sane dignum  
 Imperatore facinus, quo ille, quam mini-  
 mum faveret Sectariorum partibus, quam  
 vero nostris benignus esset, signum sustu-  
 lit sole clarius, simulque illorum spem o-  
 mnem obtinendæ petitionis omnino con-  
 fudit, & penitus fregit audaciam, quam  
 adhuc magis attrivit hominis illius trans-  
 missi edicta in examine confessio, qua ille  
 omnia adversæ partis & quidem horrenda  
 detexit consilia; at qualia putas? de redu-  
 cendis forte Prædicantibus? parum est hoc;  
 sed etiam de trucidandis Catholicis. Nec  
 Princeps quidem, nisi Dominus pessimæ  
 orum infatuasset consilia, & cogitationes  
 dissipasset, futurus erat immunis. Hæc &  
 alia ille non committenda literis.

Exorta tunc fuit ah! quanta Novato-  
 rum






rum lamentatio de imminuto Lutheri regno , deque amissa Sectæ suæ libertate ! at tanto major extitit Catholicorum exultatio de devictis adversariis & profligatis Prædicantibus , turbarum & dissidiorum ministris , & quod nova jam ubique rerum facies , novus populus , verus denique rediisset Religionis cultus. Itaque læta admodum & serena prorsus dies illuxit. Et quis non exultaret cernens rem Catholicam quasi reviviscere , quæ dudum pestifera clade & calamitate quasi periit ? neque vero voluptatem hanc nostri intus in animo celabant , sed varias DEO laudes continentes in publicum proferebant. Audivisses hic lætum pæana canentes : Cantemus Domino ; gloriose enim magnificatus est , equum & ascensorem projecit in mare. Illic : anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium ; laqueus contritus est , & nos liberati sumus. Alibi : Benedictus DEUS , qui visitavit , & fecit redemptionem plebis suæ. Rursus : Lætati sumus pro diebus , quibus nos humiliasti , annis , quibus vidimus mala. Inter omnes unus non erat , qui pro ingenii sui modulo laudes non diceret ; in ore omnium canticum erat lætitiæ , atque tripudii.



In hac Catholicorum felicitate, cujus plerumque comes esse solet insolentia, tamen audi rem miram & admirabilem: nemo nostrum omnium visus est vel auditus, cujus ex ore in adversarios vel verbum quidem asperum prodierit, minus indignatio, & multo minus, quæ communiter in offensos cadere solet, vindictæ cupiditas, sed potius commiseratio & jugis ad DEUM pro ipsorum salute deprecatio: qua in re nostri Principis potissimum excelluit pietas, qui pro suorum a recta fide aberrantium subditorum conversione sæpissime privatas, nonnunquam vero publicas instituit supplicationes. Nec inanis hæctenus fuit oratio, siquidem ex illis, qui zelo ducti Lutheranæ, paulo ante patriam reliquerant, nonnulli tum Nobiles, tum cives, quod apud externos non eundem ubique reperissent de nova Religione sensum, sed alibi quidem Lutherus, sed non integer, alibi autem Calvinus expulso Luthero vigeret, alibi autem nec hic quidem sincere, & alibi aliter haberet Religio, poenitudine ducti in patriam redierunt, seque abjurata hæresi Ecclesiæ Catholicæ stiterunt, atque cum nostra Religione conformarunt. Remigrarunt deinde alii iisdem plane de causis, sed non eodem, quo illi animo, insignes



nes ex nobilitate viri , in sua nimirum opinione obstinati , quibus nihilominus redditum liberum permisit humanissimus Princeps. DEUS & hos & alios misere deceptos aliquando illuminet , inque cordibus illorum veræ cognitionis lumen accendat , & vota nostra ad optatum finem dirigat , faciatque , ut omnium nostrum unus tandem sit aliquando Pastor , & unum ovile!

Atque hæc sunt ferme , Archidux , quæ de origine , deque progressu celebris ubique Reformationis nostræ me scripturū recepi , quod si feci forsan prolixius , quam Epistola ferat , at certe brevius , quam res ipsa postulet. Jam vide ex his omnibus , quid a quoquam jure carpi queat. Si enim primam originem spectes , divinum instinctum , atque adeo admirandum stupendumque miraculum omni luce clarius perspicias. Annon quæso miraculum sit , quod hic Princeps reformandæ Religionis curam ea suscepit ætate , qua non excedebat annum vigesimum ? iis Provinciis , quibus dominabatur hæresis ? eo tempore , quo Turca maxime fureret , ? eo denique consilio , quo nulli vim adferret , nullos excitaret motus , sanguinem nullius funderet , tam suaviter animi sui vota perficeret ?  
auget




auget verò miraculum ; quod non deessent  
 ex Catholicis præcipui nominis Consilarii,  
 qui Principem temeritatis arguerent, quod  
 in communi periculo tractaret negotium fi-  
 dei, & in se concitaret adversarios potentes  
 Catholicis, cum ipsi bellum esset cum  
 Turcis, simulque protestarentur, si ita per-  
 geret, conversum iri sursum deorsum omnia,  
 & hanc ipsam Reformationem in Catholi-  
 corum perniciem redundaturam. At tan-  
 tum aberat ; ut hæc illum ab inceptis de-  
 terrerent, ut etiam accenderent & inflam-  
 marent. Quid agebat, potentiam adversa-  
 riorum objicitis ? quo diutius illos tolera-  
 vero, eo formidabiliores effecero. Quid  
 bellum Turcicum opponitis ; cum illos hoc  
 ipso videatis uti in Catholicorum pernici-  
 ciem ; & ego non utar in bonum ? ego in-  
 quam, ad quem spectat populum meæ fi-  
 dei commissum non minus a fidei, quam  
 a patriæ hostibus defendere ? Princeps sum,  
 & non feram auxilium de summa rerum  
 periclitantibus ? opem meam imploranti-  
 bus ? Catholicus sum, Sectariorum tole-  
 rabo dominatum ? Religionis interitum ?  
 gladium manibus præfero, & non puniam  
 fontes ? non defendam innocentes ? tem-  
 pus forte expectem commodius ? at dum  
 melior expectatur, optima rei bene geren-  
 dæ




dæ sæpe labitur occasio. En adversarii me  
jam minuerunt capite: negant enim se me-  
os esse subditos; quid reliquum, nisi ut  
etiam Principatu dejiciant? an expectem  
ultimam, & meam, & Religionis nostræ  
ruinam? facessite; sexcentas malo mortes,  
quam diutius periclitanti deesse Religioni,  
qua afflicta & oppressa omnis mihi vita  
acerba est. Quis obsecro non videt in hoc  
juvenili corpore animum plus quam seni-  
lem? plus etiam quam heroicum opus e-  
dere admirando prodigio simile? an non  
id res ipsa quovis præcone clarius attesta-  
tur? Ego quidem neminem esse arbitror,  
qui hæc audiens non exclamet: Digitus  
DEI est hic: hunc autem quis reprehendat?  
Sed altiora mittamus, deque origi-  
ne nostro more loquamur.

Quæ hic obtrectationis materia?  
non enim illa processit ex curiositate, non  
ex complacentia, non ex odio, non ex  
malevolentia, non denique ex ulla illicita,  
& levi causa; nihil horum vitiorum in  
FERDINANDUM nostrum cadere potest. Sed  
ex necessitate, ex conscientia, ex pietate,  
Principis; amplius dico: processit ex ma-  
litia, temeritate, insolentia adversario-  
rum. Non est hæc amplificatio, sed ipsis-  
sima



sima veritatis narratio : quantus enim No-  
 vatorum extiterit in Catholicos furor,  
 quanta rabies , ex superius commemoratis  
 liquido constat. Hic vero illud tantum  
 repetiisse ne molestum sit , quod nostros  
 illi non solum a publicis patriæ functio-  
 nibus , verum etiam a privatis , & familia-  
 ribus congressibus non aliter , quam publi-  
 canos & leprosos excluderint : hinc quam  
 acerbe & inique in reliquis habiti fuerint,  
 nemo non intelligit. Et illi quidem sic de-  
 bacchabantur in omnes laicos pariter ac  
 Ecclesiasticos ; at in hos multo amarulen-  
 tius & atrocius ; his templa , illis decimæ,  
 aliis alii proventus , nonnullis omnia ad-  
 empta & direpta fuerant. Et quid mirum  
 hæc accidisse nobis , quando nec Principi  
 pepercerunt ? quem & publicis sermonibus  
 & famosis libellis , nunc idololatræ , nunc  
 tyranni , nunc persecutoris Christi & E-  
 vangeliæ crimine per universam Germaniam  
 traducere non sunt veriti ; qua sane ex  
 causa plane quasi conciderat Principis au-  
 thoritas , & omnis morum honestas. Quæ-  
 rebantur , tum de istis insolentiis seu furiis  
 potius infernalibus Catholici , qui adhuc  
 sincere nobiscum de fide sentiebant ; &  
 potissimum Ecclesiarum Prælati supplices  
 suum orabant Principem , non quidem , ut  
 pub-



publicos istos præcones merito damnaret supplicio, sed duntaxat, ut a vitæ fidel<sup>is</sup> Secretarios a vi & insultu improborum defenderet; quorum ille assiduis adactus precibus, secus facere non potuit, nec debuit, quin auxilio illis esset, & pro viribus optularetur. Manifestum igitur est FERDINANDUM adversariorum factis supra modum atrocibus impulsus ac prope coactus suscepisse opus Reformationis, & occasione velut in manus atque sinum delata fecisse multa, quæ nisi laceffitus, non fuerat facturus unquam; quod ipsi quoque non diffidentur Novatores. Qui igitur hic illum criminis alicujus reum adhuc dicere ausus fuerit, profecto eum insignem criminatorem esse, ac omnem omnino pudorem exuisse necesse est.

Jam ad progressum Reformationis, quod attinet, nescio sane, si quid mitius atque modestius fieri potuerit; quod ut melius appareat, videamus singula. Præcipua Reformationis capita hæc erant: Ecclesiæ earumque proventus, Nobilitas, Civitas, Populus & Prædicantes. Non fuit cæpta Reformatio ab his omnibus simul, neque a difficilioribus, ne fors tumultus fieret; sed a vendicatione Ecclesia-

H rum,



rum , earumque proventu , ut quod minus haberet periculi , minusque offenderet. Nemo enim merito queratur , si spoliatus sua repetat ; nemo , si iniquus possessor aliena restituat. Neque tamen omnes hujusmodi Ecclesiæ simul , sed una post aliam , prout major hanc , quam illam recuperandi spes erat , ab injustis occupatoribus repetita ; quod etiam in redimendis proventibus fuit observatum , prudenti sane Principis consilio , ne videlicet , si omnia simul aggredereetur , ipsi contingeret , quod vulgo dicitur : qui nimium emungit , elicit sanguinem. Unde etiam accidit , ut hoc procedendi modo nemo adversariorum repertus sit , qui Principi se opponeret. Imo vero etiam non admoniti ultro se Ecclesiarum bonis , quæ hæctenus possederant , abdicarunt , tanquam jam eos puderet ex illis vel victitasse , vel locupletiores effectos esse. Cum Prædicantibus autem ita actum est , Quoties non illi maledicentia sua populum ad tumultum concitarunt ? quoties in Principem & Religionem nostram blasphemi & contumeliosi fuere ? quoties eundem una cum Religioso Clero diris dæmonibusque devoverunt ? Cum hæc ita se habeant , nihilominus nullo unquam affecti supplicio , prout meriti erant , nec ullo

alio



alio castigati modo , sed solo chartaceo edicto salvis rebus omnibus ad suos , unde venerant , redire jussi sunt. Porro Civitates , & Subditi , quam placide in ordinem redacti , & ad pristinam Religionem reducti sint , experientia docet , & ipsi nunc etiam testatum faciunt. Quid ego hic de Nobilitate dicam ? nonne & in fide & cæteris rebus sibi relicta in hanc usque diem penitus intacta permansit ? nonne & benigne tractatur , & patientissime toleratur.

Sileant igitur obtrectatores , & impios suos affectus potius , quam Reformationem calumnientur ; agnoscant sua vitia , & nil in illa reperient vitii. Verum sunt tamen , semperque erunt multi , qui de hac Reformatione loquantur acerbe & odiose , & optima quæque explicent , non aliter , quam noctua quædam Æsopica queribunda maledixisse soli fertur , quod ipsius radiis oculos suos perstringi , visumque doleret obtundi. Nos omnia , quæ in hac Reformatione gesta sunt , Divinæ primo Providentiæ , a qua eam esse profectam certo scimus , tandem sinceræ FERDINANDI nostri Pietati tribuimus , qui indefessis suis curis & laboribus optata hæc nobis otia fecit , ut extra metum & periculum constituti , pede supra pedem posito altum



requiescamus; pro cuius salute debitas proinde preces quotidie fundimus. Te quoque Serenissime Archidux Superi per diu fervent incolumem, & faciant aliquando similium & his majorum operum effectorem! atque hoc præcipue unum pariter conjunctis animis & ex intimis sensibus optamus, & oramus omnes, quotquot Religioni nostræ recte consultum cupimus. Vale. Palmæburgo Calendis Maji, Anno M, DC, IV.

Hæc epistola tametsi potissimam rerum gestarum partem explicat, tamen ut nihil, quod ad pleniorē rei notitiā facere possit, subducamus, narrationem facti texemus ordine chronologico, materiem uberrimè suggerente cum primis Anti-Rungio Jacobi Roselenz Stainzensium in Styria Canonicorum Regularium Præpositi, libro sic appellato, quod scriptus sit contra Davidem Rungium Wittenbergensem Academicum, qui FERDINANDUM ob ejectos e Provinciis ministellos & restitutam rem Catholicam tyrannidis accusaverat. Alia tum e commentariis Kevenhilleri, tum ex Annalibus nostris, tum aliis MSS. mutuabimur.

Spatium temporis, quo Provincias interioris, ut vocant, Austriæ, Styriam, Carin-



rinthiam, Carnioliam tabes illa novarum dogmatum obsedit, sicut pene regnum obtineret, anni fuerunt universim non amplius quadraginta. Quamvis enim a principio publicatæ Confessionis Augustanæ, quin antea quoque tum illatis aliunde Doctrinæ prævæ libellis, tum magistris corruptoribus, tum illa communi Germaniæ reliquæ contagione, strepituque miscentium omnia Novatorum, ac veluti signum populis receptæ de jugo Papistico libertatis proponentium, huc etiam scintillæ quædam communis mali pervalerint, tamen eæ per FERDINANDI Regis & Præsulum Salisburgensium vigilantiam coercitæ, tantam stragem nondum ediderant. Sic autem demum se confirmaverant per FERDINANDI præcipue Regis absentiam, & curas alibi locorum districtas, ut jam triumphum agere & efferre caput supra Catholicos viderentur. Ipsa multitudo Provinciarum faciebat, ut Rex curas extendere suas, ut oporteret, in singulas haud posset: igitur administratæ per Vicarios Præsides, qui aut ipsi corrupti erant, aut privatis emolumentis ad connivendum inducti, aut aliorum talium, contra nitentium studiis impediti, aut absterriti metu turbarum. Clerici, qui non desciverant, aut idonea destituti doctrina, aut potentium



vi prohibiti. Sic FERDINANDO Cæsare rerum potiente res habebant: quem tamen prohi quidam Catholici de suis injuriis, quas quotidie patiebantur, admonitum impulere, ut decerneret applicita demum securi radicem mali exscindere. Sed id serum erat: nam ipse paulo post extinctus Provincias istas CAROLO Filio, sed minus authoritatis ac virium, quam in ipso fuerat, reliquit. CAROLUS Græcii Styrorum metropoli sedem fixit, institutis novis tribunalibus civili, militari, œconomico, aulico, provinciali, quibus urbs novam faciem induit, splendore palatiorum, multitudine civium aliisque talibus rerum profanarum incrementis, non item rei Catholicæ, quæ adeo languebat, ut Cœnobia duo S. Dominici & S. Francisci de Observantia deserta jacerent, substituto in Franciscanorum locum contubernio egenorum scholarium. Solus Partheno sororum Dominici in suo flore constabat. In Archiduce quidem flagrans erat pro avita Religione studium, quo & postulatis Novatorum resistebat, curamque, ut poterat, afflictis medendi rebus explicabat. Sed eum Turcarum terror, & belli sumptus ex arbitratu Provincialium pendentes, & negotia nonnunquam externa a rebus serio movendis impediabant. Anno 1566. Comitibus Hun-



Hungarorum mandato Cæsaris MAXIMILIANI, in Urbe Pofonio præfedit; deinde Viennæ congregatis Auftriorum Ordinibus de suppetiis in Turcam, de muniendis exactius urbis illius pomæriis retulit. Subinde tamen emissis ad Provincias mandatis, novorum dogmatum interdictum fecit: quod morati Græcenses optimates anno 1568. condidere suæ sectæ templum, illud, quod hodie Virgines D. Claræ tenent. Mox anno sequenti quum Archidux rursus e Provinciis evocatus, voluntate Cæsaris in Hispaniam solvisset, ut auctor esset Regi ad concipiendas novas cum Galliæ Rege tabulas pacis, eo tempore Styriæ Procures e commodo suo sunt usi; Gymnasium prope ratis operis excitant, idque novitiæ doctrinæ Magistris instruunt, Huc pecunia publica, cujus majorem partem Catholici in subsidiū Patriæ contra Turcam contulerant, impensa. Simile quid moliti sunt etiam Carinthi apud oppidum Clagenfurtum. Ex his quantum detrimenti deinde ceperit res Catholica, quantum promotus Lutherismus, dici satis haud potest. Sed illud in bono fuit, quod novum labenti causæ præsidium paraverat DEUS, MARIAM Alberto Bavaro genitam. Ea CAROLO nupta anno 1571. Græcium venit, adductis una Sodalibus



bus e Societate JESU, quibus paulo post, nempe anno 1573. Collegium ab Archiduce positum, veluti antidotum contra Magistros A catholicos, ut adeo Collegium Jesuiticum non ante Lutheri Scholam, quod supra Stobæus scribere videtur, sed e converso potius instituta sit. Jam Archidux hortatu Conjugis & necessitudine Bavarica fretus, paulo animosius in coercendis novatorum studiis se gerebat. Nam anno 1574. Comitatum Goritiensem (huc etiam hæresis influxerat) per Labacensem Episcopum Conradum repurgavit, intentus in occasionem, qua idem per reliquas Provincias sine motu conficeret. Sed vellicabantur fines a Turcis, lamentantibus ante alios Carniolis, quibus alias ex aliis vastitates inferebant. Cogendo in tempore subsidio convocati Provinciarum Ordines ad Muripontem oppidum anno 1578. quo de conventu sat copiose Stobæus: quibus adde: Proceres A catholicos ad postulata Principis responsum distulisse ad Carniolix Prætoris Herwardi Auerspergii adventum; is quum demum advenisset, de periculo præsentissimo a Turcis, de cladibus quotidianis, de communi excidio Provinciæ omnibus imminente differuit: hortatu, precibus, obtestationibus agebat, ut festinaretur auxilium. Hoc suum tem-



tempus rati Novatores cunctari, excusare, prorsus omnia frustrari. Princeps metu & curis anxius, consiliarii consternati ancipiti malo, inde ab hoste communi, hinc ab Optimatum secessione: quum demum venia Confessionis Augustanæ quatuor in oppidis exercendæ, Græcii, Judenburgi, Clagenfurti & Labaci concessa, talibus tamen pactis & legibus, quibus in reliquum avitæ religionis incolumitati per omnia cavebatur, illudque cautum diserte: uti hæc concessio non propagetur ad posteros CAROLI; nec ultra quam ipso superstite vim habeat. Hic illi ulterius niti, concessionem perpetuam velle; largiora, quam petebantur, offerre subsidia: sed repulsam passi, eo curam vertunt, ut quod negabatur, ipsi per se conficerent; sectam ita firmarent, quo deinceps invito etiam Principe tueretur statum. Igitur pactorum immemores, omnia sibi jam licere rati, non contenti locis ante nominatis, templa pro arbitrato ædificant ad Marburgum, Rotenmann, Celejam, Schladningam, Rakerspurgum, Leibnitium, Feldpachium ad Neomarchtum, Obervelsium, Schaunbergam, Gmundam Carinthiæ, prope Stainium Carniolæ, Rotmondsdorffium, Crupam, aliaque passim tum fana, tum sacella & cœmeteria. Nec his exlatiati: Parochi-



as Catholicis Curionibus exturbatis arripiunt, Prædicantibus procurandas tradunt, nec illas modo, quarum jus patronatus penes ipsos erat, sed etiam in clientela Principis constitutas invadunt. Ludos item literarios instituunt, aut præceptoribus orthodoxis ejectis, aut domibus propriis in eum usum comparatis. Qui vero liberos accuratius institutos volvere, emiserunt eos ad Academias acatholicas, e quibus in Patriam reversi rationes suas hoc firmiter fulcirent. Illud omnibus opibus eniti, ut Catholicos voce, quæstu, vi, molestiis, aliisque modis ad sua castra traducerent: quod ut latius agerent, erectæ officinæ typariæ, e quibus infinitus corruptorum codicum numerus excusus, in omne genus hominum dispersus. Conquisiti homines diversorum idiomatum gnari, qui sacras paginas, preces, cantus, aliosque id genus libros veneno imbutos variis donarent linguis. Tum illud maxime noxium aggressi, qua pollebant in subfelliis potentia, de omnibus fere reipublicæ muniis ministros Catholicos submovent; heterodoxos substituunt: apud hos agitatæ Catholicorum causæ quantumvis æquissimæ, aut cadebant, aut in immensum protelebantur. Sic in foro, in tribunalibus, quin in ipsis opificum sodalitiis religio nova do-





minari, Catholici velut in prostibulis haberi: nam cives etiam oppidorum ea malignitas inceserat, ut neminem inter cives adscriberent, nulli vel coemendi domicilij veniam facerent, nec in opificii aut operis quæstuoſi consortium admitterent, niſi partibus Catholicis abjuratis. Ejusmodi desertores apud eos in honore eſſe, communibus opibus adjuvari, præcipue ſi qui de clauſtris fœdifragi ad ipſos convolabant: hos illi ferre in oculis, ſtipendiis munerari, ad miniſteria provehere: quorum hominum genere nihil insolentius tum ad calumniandum Papam, Episcopos, Clerum, & quidquid eſt ordinum ac inſtitutorum veterum, tum ad venditandam novæ doctrinæ libertatem, paſſim e ſuperiore loco vociferantibus: DEO magis parendum, quam hominibus. Inſectabantur Eccleſiæ Sacramenta, cultum Sanctorum, Indulgentias, aliosque ritus, quibus ſermonibus nihil plauſibilius ad vulgus, iis maxime, qui Catholicos convitiis & contumeliis quamplurimum oneraſſent. Inde defectiones cœnobiorum, apoſtaſia Sacerdotum, & fœda prorsus rerum omnium permixtio: quam ſi qui forte pertæſi pedes ad Catholicos referrent, hic erat videre velut furias inſectatrices, qui talem nullo patientibus loco ſine injuriis & vexationibus

bus



bus consistere, quarum immanitate fracti haud pauci aut denuo rediere ad vomitum, aut finibus patriis excedere maluerunt. Jam coloni & servitia ruri, quorum res & fortunæ in arbitrio dominorum vertuntur, ut quisque opportuniorem sectæ se dabat, hoc priorem gratiæ locum inibat: ceteri variis ex causis evocati, cogebantur aures Prædicantibus dare: ni paruissent, ergastulis aut multa pecuniaria plectebantur: iisdem imperatæ per dies Festos operæ, & labores agrestes: edulia de carne, quando lex Ecclesiæ vetat, apposita. Officiorum Divinorum conventus variis prætextibus impediti, jam evocatis ad judicia rusticis, jam ad instituendos aut cognoscendos contractus aliaque talia, quorum copia fundorum dominis locuples & in promptu est. Quibus rebus quum mederi vellet Seccovientis Antistes, obiretque Provinciam cum mandato Principis, eo consilio, ut in Parochias contrafas ereptas Pastores Catholicos reduceret, illi armis ostensis Præfulem arcuere; eademque temeritate Legatos Principis iterum ac sæpius missos, qui quum jus Principis in Ecclesiis ad eum spectantibus exequi vellent, re infecta quin & contumeliis onerati abactique sunt. Sed nulli probrosius tractati, quam Sacerdotes: in hos nullum ludibrii



genus omiffum : nonnunquam & faxis & verberibus accepti, fic, ut injuriæ devitan-  
dæ caufa cultum fere corporis mutare, ac  
larvati incedere cogerentur, tum præcipue,  
quum effct ad ad ægros deportanda Euchari-  
ftia, quo sæpius factum, ut detracta per vim  
Sacra Theca fpoliati, multatique, per into-  
lerandum facrilegium remitterentur do-  
mum : tum fi quando cum fuis ad facras æ-  
des peregrinantium ritu inviferent, quin  
ipfam Sanctiffimi Corporis pompam pro mo-  
re ducentes, ab infestis ex composito popu-  
laribus omne genus infectationum & despe-  
ctuum perferebant. Atque hi fructus erant  
indulti Muripontani, quibus etfi mederi cu-  
peret Archidux, & revellere permiffum, quod  
ufuris dederat, non tam perfide abufuris ;  
jamque cœpiffet variis in locis reformatio-  
nem moliri, tamen ejus conatibus per con-  
tumaciam adverfantium objectæ multiplices  
moræ. Imploratus Catholicorum lamen-  
tis id primum aggreffus eft, ut Parochias fi-  
dei fuæ creditas affereret, conatu in quibus-  
dam commodo, in nonnullis parum felici,  
ut jam ante notavimus. Deinde lege fan-  
xit, ut in urbe Græceni procurator effct feu  
fubftitutus pro Principe (vulgus Ambaldum  
vocat) qui Senatui civium affideret ; præ-  
terea civibus interdixit, ne fibi veniam no-



vi dogmatis usurpandi datam putarent; ne Synagogam alienæ Religionis accederent; uti vetere more Divinis rebus non alibi, quam in æde Parochiana adessent; ne proles in disciplinam sectariorum traderent. Eadem imperata ad oppidanos aliorum locorum dimisit. Talia molientem occupavit mors anno 1590. FERDINANDO Filio nondum per ætatem Imperii legitime tractandi maturo.

Quanquam autem Vidua MARIA, Provinciarum Governatores Ernestus, deinde Maximilianus Archiduces conatus Novatorum utcunque reprimerent, tamen anno 1595. Parochiæ pleræque depulsis Catholicis Pastoribus occupatæ sunt a Prædicantibus. Absens quippe erat Maximilianus Archidux: RUDOLPHUS Cæsar bello implicatus Pannonico; Consilarii pars A catholici; Vidua Princeps opibus impar; ejus Frater Baviaræ Dux locorum spatio, quam res possedit, longiore disjunctus: numerus vero sectatorum Lutheri tantus, ut ex inquilinis Græcensibus pene cunctis invenirentur avitæ fidei cultores tres non amplius; adeo ut memoriæ proditum sit, aggresso ad Provinciarum regimen FERDINANDO (quod anno 1596. factum est) die solenni Paschatis ad

sa-



sacrum Convivium neminem ullum accubuisse præter Principem, item unum aliumve de familiaribus aulicis, cum rerum capitalium administro. FERDINANDUS tum suo pte studio, tum proborum virorum ac potissimum Matris hortatu deploratis rebus mederi constituit. Adiit RUBOLPHUM Cæsarem Pragæ, cum ejus Assessoribus consilia contulit: res, ajebat, Provinciarum suarum, prætextu Concessionis Carolinæ de libero novorum dogmatum usu jam esse prolapsas eo, ut Imperio Principis abdicato Rempublicam e forma communi constitui velint: Hollandos & Helvetos in exemplum vocent, jam parochias etiam illas, quæ in clientela sunt Principis, ministris extraneis pro arbitrio tradidisse; Tempia & Gymnasia ludosque literarios erexisse, Principe nec indulgente, nec consulto: oppidanis ne municipem sibi de Catholicis ullum aggregent, vetuisse. Nomen Deputatorum, aliaque Provincialium Ordinum officia cum nullo Catholico- rum communicata velle. Imperata Principis in deliberationem vocare, nec nisi, quum ipsi censerent, recipere. His & ejusmodi quotidianis excessibus urgeri se ac plane cogi, ut modum aliquando statuatur sectariis, quibus alioqui nullo ex capite rationis aut promissi sit obstrictus, Privilegium CARO-



LI Parentis expirasse cum vita; itaque ut ex-  
 piret, ipsum voluisse. Sed nec sese privile-  
 gia confirmasse præter illa, quæ ab majori-  
 bus Catholicis ad ipsos per manus tradita  
 venissent. Idem sibi per leges pacis publicæ  
 licere, quod Palatino, quod Saxoni, Bava-  
 ro Ducibus, quod imperii Civitatibus licu-  
 isset. Hæc & alia differente FERDINANDO,  
 Senatus Cæsaris hunc in modum censuit;  
 Archiduci ad exequendum propositum plus  
 æquitatis esse, quam virium: rem alea ple-  
 nam fore, destitutum opibus idoneis ex-  
 periri cum iis, qui & viribus possent, &  
 habeant in promptu vicinorum Hungaro-  
 rum, ac Venetorum auxilia. Non Religio-  
 nem modo, sed etiam Imperium ac dignita-  
 tem Principis in casum vocari: posse & Pro-  
 vinciarum dominatu a perduellibus exui.  
 Sed hæc nihil moratus ille, certum sibi di-  
 cebat esse, rem consulto DEO decretam in  
 opus redigere. Subinde anno 1597. iustra-  
 tis Provinciis suis, receptoque a singulis fi-  
 dei Sacramento, Romam profectus est, fa-  
 lutatoque Pontifice CLEMENTE VIII. in eo-  
 dem proposito confirmatur, non expresso  
 per Principem in eam rem solemnijuramen-  
 to, ut invidiose scribit Jacobus Thuanus, sed  
 probato, quod ad Virginem Lauretanam  
 conceperat Religionis in suis Provinciis vel  
 cum

cum vitæ discrimine restituendæ voto. Ut-  
primum revertit, ad opus aggressus est, ubi  
erant, qui ei terrorem, quod agitabatur,  
belli cum Turcis, tum periculum domesti-  
cæ seditionis objicerent, sectariorum vires  
ostentarent, aliaque timide cauteque disse-  
rerent. Princeps DEO fretus, deque re, de  
modo exequendi, consilia suorum exquisi-  
vit, in quibus erat idem, cujus narratio-  
nem supra dedimus, Lavantinus Episcopus,  
cujus viri & prudentiam & zelum insigniter  
declarat ipsa, quam responsi vice Principi  
percontanti reddidit, epistola, quæ magnam  
eadem historiæ lucem adfert, ob expli-  
cata rei gestæ momenta,





De auspicianda  
Religionis Reformatione  
*in*  
*Styria, Carinthia, Carniolia.*

E P I S T O L A

Georgii Stobæi de Palmaburgo,  
Episcopi Lavantini,  
*ad Serenissimum Principem*

D. FERDINANDUM  
Archiducem Austriæ.

**N**on possum Serenissime Archidux! quin illud sapientis inclamem: cor Regis in manu Domini, sicut divisiones aquarum: quocunque voluerit, vertet illud. Vix tri-duo a te aberam, vix Lavantum tenueram, vix ibi me visitandæ Ecclesiæ meæ succinxe-ram, & ecce! Archiduciales tuæ ad me lite-ræ, quibus & hortaris ad maturum reditum, & conceptum tuum de Religionc in Styria, Carinthia, Carniolia, avitis tuis Provinci-is reformanda consilium refricas, & impa-tientia quadam Zeli pietatisque effervescent, quæ mea in hoc genere sit sententia, scripto interim jubes me præmittere, mox etiam se-qui.





qui. Omnibus debitor sum, ait ille; Ego vero Ecclesiæ meæ, tum Serenitati tuæ, tum tuis Provinciis, quam sim obnoxius, non ignoro. Faxo ergo, quod imperas, faxo, & tanto majore cum lubentia, quanto cum majore & libentiore Religionis usu ac fructu totum hoc conjunctum esse intelligo. Sed quid ago, DEO devotissime Archidux? stat animo fixum reformandæ Religionis propositum? sacrum pectus! quod te Numen afflavit, ut in præsentis belli Turcici, nunc tuis in finibus maxime grassantis ardore, de reformanda Religione tu susciperes, quod vix alius quispiam vel pacis tempore admitteret consilium? adeo inter continuos armorum strepitus, & quotidianos pene cum hoste capitali conflictus non deficis, ut etiam de expurgandis hæresibus sis sollicitus. Sed video tui rationem consilii; intelligis, qua sapientia polles, illud Apostoli ad Timotheum: qui suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & infideli deterior est; quod ad domesticos fidei, hoc est ad fideles pertinere, gravissimi nobis auctores sunt D. Cyprianus & Theophilactus, intelligis hoc, & accedit timor Domini, ætatis ejus, quam agis, & fortunæ, personæque, quam geris, ornamentum ut rarum, ita præclarum. Timor ergo Domini, quo



nemini cedis, hanc tibi mentem indidit, has curas cogitationesque tacitus inferuit; hic te diu noctuque lancinat, ut præclare cogitata ad frugem, ad fructum, ad gloriam matures. Perge sane; ducem DEUM sequere. Qui timet DEUM, faciet bona, & hic omni procul dubio conatibus optimis felicem exitum conciliabit. Quod cum ego maxime cupiam, tum unam eum nemo bonus non optat, & orat. Jam ut petitioni tuæ respondeam, tria hæc mihi explicanda sunt: an præsentis temporis, quo distinemur bello Turcico, conveniat Religionis reformatio? tum si conveniet, quonam ea modo fieri debeat? & demum unde sumendum sit illius initium? quæ dum explico, id flagito, ut mihi tam libera vox sit, quam libera mens est, liceatque de singulis impune dicere, quod sentio.

Ac mihi de primo fati eorum constat opinio, qui mordicus asserunt, ob bellum Turcicum non convenire præsentis temporis, Religionis reformandæ negotium; quid ita? ne afflictis, inquiunt, afflictio, & calamitosus cumuletur calamitas. Nempe hoc dicunt: Tu jam bello distineris Turcico; quod si vero reformatione Religionis concitaveris Sectarios, ipsi vicissim arma sument, &

tibi



tibi bellum civile suscitabunt, ita præsertim in nos affecti, ut malint Turcis, quam subesse Catholicis; quid tum facies hostilibus pariter & civilibus implicitus armis? unum sustinere bellum pauci possunt, utrumque nemo. Si igitur in proposito perrexeris, nonne & te, & nos bello gravabis, & affliges altero? atque hæc quidem horum est argumentatio, quos quidem homines nimio sane plus quam politicos, non parum suspectos habeo, ne vel ex obliquo cum Novatoribus funem trahant, & si quam eis fortunæ melioris spem affulgere videant, posita larva & fronte, ab illis stent illico, nobis ex adverso. Utut sit, illos interrogo, num inaudierint aliquando illud sapientis: non est Consilium, non est Sapientia, non est Prudentia adversus Dominum? num legerint generosum illud Apophtegma Davidis, Philistæum mox interfecturi: tu venis ad me cum gladio, & hasta, & clypeo; ego autem in Nomine Domini exercituum? num denique crediderint unquam Veritati Incarnatæ asserenti: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalent adversus eam? si hæc, inquam, audierint, recolant, discantque nostras spes non brachio carneo, sed Divino præsidio maxime niti debere; quod, quæ DEI bonitas est,



a nobis fieri quis non animadvertat? si autem hi non sunt tam profundæ cogitationis ac Theologiæ viri, saltem hoc ab illis quæro, quæ nobis hoc præsentis bello acciderit afflictio? quæ calamitas, quam cumulare tantopere pertimescunt? si est aliqua; ex rebus profecto gestis ea constare poterit: at res ab initio belli belle nobis prospereque hætenus fluxisse, nemo non intelligit. Siquidem fudimus ad Savum in ipso belli primordio exigua sane manu paulo minus quam viginti millia Turcarum, in quibus & Dux illorum Christiani nominis hostis acerrimus Hassan dictus, qui cum viginti millibus contra nos venerat, una cum Turcici Imperatoris nepote ex ponte præceps in flumen acto miserè interiit. Cepimus deinde in Regione Turcarum arcem Petriniam, quam illi recenter ad infestandas tuas Provincias aptissimam construxerant. Cepimus paulo post Bobotium, aliaque loca finitima, ita ut hætenus securi fuerimus ab omni hostium imperu, non item ipsi a nostro. In omnibus denique aliis actionibus, quæ deinceps nobis cum hoste fuerunt, nunquam malum nuncium accepimus. Quorsum ergo isti nobis pannicos sine ratione terrores insonant? si DEUS pro nobis, quis contra nos? apposite & vere Augustinus: non vos  
 ter-



terreant, fratres, quidam fluvii, qui torrentes hyemalibus aquis implentur: nolite timere; post paululum transit, decurrit aqua; ad tempus perstrepit, mox cessabit. Diu stare non possunt; multæ hæresum emortuæ sunt; cucurrerunt in rivis suis, quantum potuerunt; siccati sunt rivus, vix eorum memoria reperitur; vel quia fuerunt, spernentur, tanquam aqua decurrens.

At bellum erit civile. Hoc nimirum est, quo te a proposito Reformationis dimoveri posse putant Reformationis adversarii. Sed meticulosa & inanis est illa suspicio. Existimant enim tantam esse Sectariorum potentiam, ut queant nobis pro libitu bellum indicere; ita vero nos impotentes, ut nequeamus illis resistere, quod a vero distat, quam Cælum a terra, longius. Constat experientia, nos hoc ipso cum Turcæ bello in ferendis adversus eundem tanquam communem patriæ hostem auxiliis, tam pecunia, quam milite & cæteris rebus ad bellum necessariis dimidia semper parte plus contulisse, quam ipsos Sectarios, quod non ipsi inficias ire possunt. Non sunt, mihi crede FERDINANDE Archidux! non sunt illi heroes præ nobis tanto superiores, quod Augustino docente, vel ex eo disco, quod



tacent, quod quiescunt, quod nihil mo-  
 vent, quod denique nos stamus, quod Ca-  
 tholica Religio regnat, quod Ecclesia do-  
 minatur. Scilicet illi, si tantis opibus no-  
 stras superarent, parcerent nobis? non pre-  
 merent & opprimerent; non nos ludos, &  
 piacula haberent? blandiantur sane tibi,  
 vel ipsis, qui volunt; audiant tamen Augu-  
 stinum Donatistis hæreticis hoc ingerentem:  
 favire vos nolle dicitis; non ego posse arbi-  
 tror; quando enim potuistis, & non feci-  
 stis? unde ostendistis, quod plura faceretis,  
 si possetis. Utinam! utinam Princeps non  
 exstarent ejus rei luculenta vestigia, nescio,  
 num magis ad memoriam, an ad infamiam  
 impressa! ex quibus ut ex ungue leonem  
 conjectare possumus, quo loco apud hæ-  
 reticos esse cogeremur, si illi inter nos eo  
 loco forent, quo nos super eos sumus. Sed  
 neminem inculo, nec camarinam illam mo-  
 veo, quæ tuæ Serenitati piisque Catholicis  
 nimio quam notissima est. Atque ut essent  
 nobis potentiores, ne sic quidem mihi jacta  
 est satis firma belli suspicio; est enim diffi-  
 cile tale quid in Magistratum concipere, mul-  
 to vero difficilius in opus deducere, quo-  
 rum ad utrumque etiam audacissimi Heroes  
 horrent, tremunt, pallent, cum de iis rebus  
 vel cogitant, vel tractant. Neque vero il-  
 lud



lud est curandum, quod de illorum in nos odio subjiunt, ita nimirum esse affectos, ut Turcarum subesse malint, quam Catholicorum imperio. Quasi vero nesciant inter jugum Christi & Mahometis, & utriusque sequaces quantum intersit; quam illi sint mites & benigni, hi vero truces & asperi: & his sese Sectarii dedant impietate Turcis, crudelitate barbaris? placeat commentum hoc, quibus placent aniles fabulæ; ego nunquam tam ero corde levis, ut illi fidem adhibeam.

Sed quid ego cum hoc hominum genere tam diu disputo, qui in sententiis dicendis non consilio nec ratione, sed metu ducuntur, sicut & in hoc ipso reformandæ Religionis negotio posuerunt firmamentum suum formidinem, & ibi trepidaverunt timore, ubi non erat timor; sub omni lapide Scorpium, ad omnem civitatis portam hostem, ubique Jovis fulmina adesse suspicantur. Quorum si ab exordio nascentis Ecclesiæ valuisset opinio, nunquam profecto exsurgere, nec in tantum orbem excrescere potuisset Christiana Religio, quæ nunc quoque ex eadem persuasione plurimum detrimenti accipit, dum deprimit Catholicorum, erigit A catholicorum animos. Digni sunt, qui cum ab omni Reipublicæ negotio, tum



potissimum a reformandæ Religionis Consilio explodantur. Non tulit quondam Gedeon præliaturus adversus Madian in exercitu suo timidos, sed eos domum quemque suam redire jussit, qui (inquit) formidolosus est, & timidus, revertatur. Nos dimicaturi adversus hæreticos, DEI & Ecclesiæ, Fidei, ac salutis nostræ hostes, eos feremus? etiam sententiam rogabimus? quorum natura est, ut, cum sibi nihil efficere posse videantur, nec alios boni quidquam agere patiantur, quos ab omni opere bono, cultu, voce, consilio deterrent, quantum possunt, ad hostem non insequendum sed fugiendum nati more leporum. Ego vero de hoc primo Epistolæ loco, ut quod sentio, dicam; sic existimo: pium hoc tuum Reformationis propositum, & huic præsentis, & omni omnino convenire tempori. Semper enim convenit, & opportunus est cultus DEO debitus; imo nullum est temporis momentum, quo Divinis laudibus non simus adstricti. Unde Psalter ait: Benedicam Dominum in omni tempore, semper Laus ejus in ore meo. Ita Zacharias ille justus monet in suo cantico: visitavit nos oriens ex alto, ut sine timore de manibus inimicorum nostrorum liberati serviamus illi, in sanctitate & justitia omni vitæ tempore. Ecce dies  
nul-





nulla excipitur, qua mortalibus liceat a Divinis Laudibus vacare. Sive igitur nubila, sive serena sint tempora, sive pax sit, sive bellum, DEUS a nobis est colendus; non potest autem cultus hic DEO debitus integre & recte præstari, nisi integra & salva Religione Catholica, sine qua nullum unquam obsequium, servitus nulla DEO grata existit.

Ceterum non est illic, nec esse potest integra & salva Religio Catholica, ubi grassantur Pseudo-Prophetæ in populo, qui cum sint Magistri mendaces, introducunt Sectas perditionis, & eos, qui illis connectuntur, una secum trahunt in sublatentem damnationis foveam. Tales autem sunt omnes nostri temporis hæretici, qui orthodoxos pravis suis dogmatibus fucatisque verborum lenociniis, tanquam meretriciis (ut Scriptura loquitur) cytharis aut cantilenis, a DEO, a fide, a veritate, a Religione seducunt, & quam verbo, tam opere præcipientes in suas voragines agunt. Quae de re S. Augustinus: ipsi quoque hæretici (inquit) cum Christianum cogitant habere nomen, & Sacramenta Christiana, & Scripturas, & professionem, magnum dolorem faciunt in cordibus piorum, quia & multi volentes esse Chri-



Christiani propter dissensiones hæsitare coguntur, & multi hæretici etiam in his non convenientes materiam præbent blasphemandi Christianorum nomen: quando & ipsi aliquando appellantur Christiani. S. Basiliius vero: quis dabit capiti meo (inquit) aquam, palpebris meis fontem lachrymarum? & deplorabo complures dies populum perversis istis doctrinis ad perditionem adductum. In transversum rapiuntur simpliciorum aures, ac deinceps in consuetudinem transeunt hæreticæ impietatis; in istiusmodi sermonibus doctrinæ plus quam impiæ educantur Ecclesiæ infantes. Nam quid aliud etiam facient? baptismata sunt apud hæreticos: illi reducunt peregre quovis progredientes; invisunt infirmos; solantur mœstos; adjuvant laborantes, & pressis omnis generis opem adferunt; Mysteriorum Communionem administrant. Quæ omnia dum per illos dispensantur ac perficiuntur, quasi retinaculum quoddam est est plebi, quo ad concordiam illorum adstringuntur, ita ut brevi temporis decursu, etiamsi restituaatur aliqua libertas, nulla tamen spes reliqua futura sit ad veritatis iterum agnitionem reducendi eos, qui diuturno dilectionis vinculo hæreticis sunt obstricti. Ecce damna & pericula, quibus nos involvunt, dum

nobiscum commorantur hæretici. Sensim irrepunt ut vulpeculæ, mox serpunt ut cancer, grassantur ut lupi rapaces, Religionem Catholicam turbant, nova dogmata profeminant, sacra polluunt, cultum Divinum proterunt, reverentiam pariter & timorem supremo Numini debitum, conculcant, denique nil reliqui faciunt ad perditionem animarum.

Et dubitabis Serenissime Archidux! quantum reformandæ Religionis propositum tempori præsentis conveniat, & ab his perniciosissimis seductoribus subjectum tibi populum vindices? opus tam sanctum tamque necessarium tanta cum animarum jactura diutius differes, belli præsentis ratione territus? quid si hoc ipso bello pœnas a nobis exigat DEUS, tam diu dilatæ, atque neglectæ Reformationis? equidem ubi consilia DEI penitus observo, subvereri incipio illud Doctoris gravissimi, magni dico Hieronymi: Barbari, inquit, fortes fiunt, nostris vitiis; Romanus superatur exercitus, & quidni suspicer a nobis justa DEI statera pœnas repeti, exigente Bellona, quod tot crimina, tot blasphemiarum, in DEUM, in Christum, in Deiparam, in Sanctos, in Cælum, in terram, in omnia, quotidianis Prædicantium



convitiis, quasi de plauſto detonant, libere, petulanter, impudenter, impie & quod ominosius eſt, impune? quod ſi ita eſt, ut ego quidem arbitror, nemo niſi reſormata Religione meliora ſperet, nemo non deteriora pertimeſcat.

Alter ſequitur Epistołæ locus de modo inſtituendæ reſormationis; de quo quoniam plures ſunt ſententiæ, & diverſi diverſa ſentiant, debeo ſingulorum opiniones ponere. Alii ſeverum te eſſe volunt in reſormando, ac totis viribus aggredi ſectarios, minis, mulctis, carceribus, quin & armis, ſi neceſſe fuerit; ita poſtulare ajunt his locis hæreſim, quæ annis jam continuis paulo quadraginta minus tantas egerit radices, ut niſi tuſſionibus & preſſuris evelli nequeat. Sed & Sectarios ipſos adeo longa hæreſis conſuetudine obfirmatos non poſſe reduci ad ſaniorẽ mentem, niſi in manu potenti & brachio excelſo. Ita Chriſtum olim egiſſe, & flagella & verbera vendentibus oves & columbas incuſſiſſe; ita Regem illum parabolicum in Evangelio nuptias filio facturientem juſſiſſe nolentes quoque compelli, ut intrarent ad nuptias. Alii his e diametro repugnantes, ſeveritati manſuetudinem præferunt; non aſpere, non violenter, inquiunt,

re-



reformandi sunt Sectarii, sed paterne tolerandi, atque ut eos lucri facias, blandula quadam conversatione demulcendi. Ita enim fiet, ut exasperatos illorum animos flectas, & erga nos fidemque nostram reddas mitiores, qui quidem primus est conversionis gradus: & hanc reformandi rationem confirmant exemplo Cælestis nostri Magistri, qui sæpiuscule familiariter usus sit Publicanis & peccatoribus, eos etiam tecto mensaque dignatus sit, imo vero blando charitatis publicoque præconio palam inclamarit: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos; discite a me, quia mitis sum & humilis corde. Alii nihil horum æstimantes, universum reformandæ Religionis negotium, publicis colloquiis & disputationibus definiunt: sic enim sibi persuadent, posse adversarios fidei nostræ vi argumentationum ad veritatis Catholicæ agnitionem adduci, ut abjecta omni superstitione in una fide nobiscum consentiant, ut nuper in colloquio Badensi, quo Matchio ipse conversus sit, acciderit. Atque hunc eundem Reformandi modum putant S. Paulum tradidisse Timotheo, cum inquit: prædica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa; quæ omnia quam ad publicas Conciones, tam  
ad



ad publicas disputationes pertinent. Ab his omnibus opinionibus dissentit ratio mea longissime. Primi Zelum quidem habent hæresis expurgandæ, sed non secundum scientiam: quid enim armis? quid crudelitate præsertim in negotio Religionis periculosius? in quo sæpe ingens bellum minima belli movit occasio, & plus innoxii, quam noxii tulere damni. At vincemus forte pro bonitate causæ? optarem id ego potius, quam experirer: quid vero, si vincamur; certe nobis nulla major posset accidere calamitas. Cæterum ex voto nobis succederent omnia; quid quæso lucri nobis fuerit, si rebelles Ecclesiæ filios ad Religionem Catholicam vi coegerimus? non enim a nolentibus, sed volentibus laudari & honorari vult DEUS. Tuum est FERDINANDE! satagere, ut non coacta sed spontanea sint in DEUM tuorum hominum obsequia; siquidem quod agis, agere vis, ut ea sint firma, constantia & non solum tempus & ævum, sed limam etiam & ignem ferant. Malus, ait nescio quis, parendi Magister est metus; addo: nec Magister, sed plagosus quidam Tyrannus, a quo nulli magis abhorrent, quam qui illi propiores. Alteri ineptire potius, quam serio loqui videntur: quis enim in causâ suæ salutis hostibus illius blandiatur? non vult Scriptura vel

Ave dici hæreticis , & nos etiam blandule tractabimus ? qui quidem modus non ad convertendos sectarios , sed ad pervertendos Catholicos est aptissimus : facilius enim hoc modo vel decem amittes Catholicos , quam unum lucreris Acatholicum. Verissimum enim est illud : qui picem tangit , inquinabitur ab ea , & illud ; cum perverso perverteris.

Tertii ad rem prorsus nihil adferunt , qui adversus novatorum deliria institui volunt publica colloquia , quibus nihil esse inutilius , multorum hæctenus colloquiorum infelix probavit exitus. Scilicet non meminerunt hi , quod a vetustissimis æque ac sapientissimis Religionis nostræ Antistitibus , & antesignanis proditum est : nullam unquam tam absurdam , tam ab omni ratione ac Religione remotam hæresim extitisse , quæ non aliquam laciniam de Scriptura sacra invenerit , ex qua pallium suo errori possit obtendere. Et res quotidianis tragœdiis testatissima est , & nostratibus Neotericis : ut nihil sit necesse me hoc loco verbum addere. Quid , obsecro , disputationibus efficias , ad quas accedunt fidei nostræ adversarii , non discendi , sed ingenii ostentandi ; non obsequendi , sed traducendi ; non cognoscendi ,



sed oppugnandi animo? unde sæpe plus or-  
rum est scandali, quam commodi. Jam ve-  
ro in iplo disputationum congressu quid fit?  
si scripturas illis objicimus, scripturas ipsi vi-  
cissim ostendunt, & hac sua audacia statim  
quosdam movent: & firmos quidem clamo-  
re suo fatigant, infirmos capiunt, medios  
cum scrupulo dimittunt. Deinde scriptu-  
ras quasdam non admittunt, & si quas ad-  
miserint, eas adjectionibus, & detractioni-  
bus, ad disputationem sui instituti interver-  
tunt. Quæso quid hic efficiet Catholicus  
Disputator? cum si quid affirmaverit, ne-  
getur, ex diverso; si quid negaverit, affir-  
metur. Unum id assequetur, ut vocem in  
concione perdat, & plane aut stomachi ine-  
at versionem aut cerebri. Illi vero, si qui  
sunt, quorum causa in congressum descen-  
dimus, ut eos dubitantes confirmemus, vel  
errantes reducamus ad veritatem, cui  
putas, parti accedent? verendum, ne hoc  
ipso, quod nos videant nihil promovisse,  
ex pari partium altercatione incertiores di-  
scendant, nescientes, quam hæresim judicent.  
Quæ omnia, opinor, considerans Aposto-  
lus prohibet, cum alienis a fide quæstiones  
inire, aures novis vocibus præbere; jubet  
hæreticum hominem post unam correptionem  
devitare, non post disputationem.





Stultum est cum illis miscere colloquia, & inire disputationes, qui nec Scripturas Divinas, nec rectæ rationis ductum, sed sua duntaxat commenta sequuntur.

Quid igitur facies? quem tandem tenebis reformandi modum? unicus meo iudicio, & optimus quidem hic est, qui ab omni strepitu, & ab omni tumultu, nec non ab omnibus illicitis blanditiarum illecebris est remotissimus, ut scilicet in hoc sancto Religionis negotio utare desuper tibi tradita auctoritate principali, cujus tanta vis est, ut vel nomen ipsum mali natura impellente, reformident, & perhorrescant, boni videntur & ament. Quod si feceris, rem, mihi crede, totam ex animi tui sententia conferis. Ut autem intelligas, qua in re auctoritas ista principalis consistat, tres illius in hoc Reformationis negotio sunt partes, quas te exequi oportet. Prima est, ut administrationem tam Provinciarum, quam civitatum deinceps non Sectariis, sed Catholicis committas: altera, ut impofterum neminem in Provincialium numerum, nisi Fidei Catholicæ consortem admittas. Postrema, ut publico Edicto jubeas, posthac omnes subscribere Religioni Catholicæ; renitentes aliud sibi solum deligere, ubi eis lice-



at pro libitu vivere, & credere; & siquidem salvari ipsi nollent in una fide, sua culpa, non cum periculo aliorum perire. Atque hæc sunt munia Principis, quæ nemo reprehendere, nemo criminari poterit.

His Serenissime Archidux! tanquam accommodatissimis, & præsentissimis adversus omnem hæresim remediis utere, & in te quoque verum experieris illud, quod Evangelicus ille Centurio in militibus suis expertus ait: dico huic: vade, & vadit, & alteri: veni, & venit; & servo huic: fac hoc, & facit. Omnes, inquam, tuo dicto audientes erunt. Sed præter hæc omnia non est diffitendum auctoritatem Principis in rebus agendis, præsertim Religionem concernentibus, eo plus habituram ponderis, quo fuerit cum subditorum suorum favore conjunctior; quia libentius illis paremus, quibus favemus, quam illis, a quibus abhorremus. Conciliatur autem subditorum favor his potissimum rebus, nempe: Institutione disciplinæ Civilis, qua coerceantur improbi, ne bonis noceant. Administratione Justitiæ, quæ unicuique reddat, quæ sua sunt. Et providentia annonæ, qua cunctis justo pretio suppetant vitæ necessaria: quæ cum populus viderit, & expertus fuerit,

rit,



rit, profecto nomen tuum ad astra tollet; & tanto libentius in fidei quoque negotio tibi morem geret.


Supereſt tertius & poſtremus Epistolæ locus, unde ſumendum ſit Reformationis initium? nam cum ditionum tuarum aliæ ſunt Italicæ, aliæ Germanicæ; & de Italicis hic non ſit ſermo ( ſunt enim omnes ſincere Catholicæ, & propterea nulla Religionis reformatione opus habent ) ſed de Germanicis hæreſi contaminatis, nempe Styria, Carinthia, Carniolia. In his porro varii atque diverſi reperiuntur ordines, Nobilium ſcilicet, civium, & populi ſeu vulgi, & Prædicantium, quorum in ſingulis Provinciis multitudo eſt maxima. Magni profecto refert ſcire, a quibus ſumere debeas initium: an ab omnibus ſimul Provinciis & ordinibus? an a Nobilitate? an a civibus potius? an vero a populo vel iſtis Prædicantibus, cæterorum ſeducoribus? ne forte, ſi quid horum præpoſtere ac minus conſiderate fiat, plus nobis adferat nocementi, quam emolumenti Reformatio. Ac quid de aliis alii ſentiant, notius eſt jam, quam ut recenſendis eorum ſententiis immorer: me potius breviter explico: non eſt incipienda Religionis reformatio ab omnibus ſimul or-




dinibus: siquidem ardua nimis & plena periculis foret ea provincia. Ita enim inter se ex mutua conjuratione sunt colligati, ut si quid uni contingat adversi, causa Religionis, id cæteri sibi fieri existiment, atque ita ad propulsandum cõmune periculum conjunctis viribus sibi succurrant, quemadmodum fieri consuevit, paries cum proximus ardet. Non etiam a Nobilitate: est enim ea, ut cæteris natura ferocior, ita ad resistendum proclivior, & haud dubie sese conatibus tuis opponeret, nixa Indulgentia & concessione defuncti Parentis tui Archiducis CAROLI, qua ad stabiliendam Religionem suam tanquam solidissimo fundamento omnibus in Conventibus plurimum gloriari solet. Nec a civibus vel a populo, aut vulgo: isti enim omnes, cum non suo, sed aliorum nutu regantur, faciliori deinceps negotio, quam ut illorum causa ullus excitetur strepitus, in ordinem redigi poterunt. Sed ab ipsis Prædicantibus Hæresum profeminatoribus felicem hanc telam ordiaris oportet. Ab ovo Serenissime FERDINANDE! ab ovo, ex quo nata, alta, educata est illa Helena, illa Hæresis, illa Babylonica Meretricula, quæ de calice fornicationum suarum, ut sacra loquitur Apocalypsis, hoc est errorum ac blasphemiarum, totum pene septemtrionem




inebriavit, imo dementavit: ab his; inquam, errorum buccinatoribus, ab his contentionum ac dissensionum ciniflonibus auspiciare. Tempus est, ut Judicium incipiat a Domo DEI, & tam impuri, quam injusti invalores ex atriiis Domini profigentur, atque in eorum locum Regale subrogetur Sacerdotium, genus electum, gens sancta, populus acquisitionis; qui cum Ecclesia, toto orbe diffusa communicet, tota Ecclesia dico Romana, in quam Apostolorum Principes omnem cum suo sanguine doctrinam profuderunt, ut jure meritissimo in illa semper Apostolicæ idcirco Cathedræ viguerit Principatus. Et vero notius est, quam ut a me referri debeat, nusquam efflorescere Regna gloriosius, vel Regum profapiam feliciora cespitate in feram propagari posteritatem, quam ubi pietas, stabilitamentum Reipublicæ, regnat, Hæresiarchæ exulant, & bonorum copiosa est ubertas Sacerdotum, qui laborant in verbo & doctrina, una manu operi, Nehemia Duce, & altera arcendis procul lupis a præsepibus, insistentes. Certissime credimus (inquit in codice Justinianus Imperator) quia Sacerdotum puritas & decus, & ad Dominum DEUM, & ad Salvatorem nostrum JESUM Christum fervor, & ab ipsis missæ perpetuæ preces, multum fa-



vorem nostræ reipublicæ, & incrementum præbent, per quas detur nobis & barbaros subjugare, & Dominum fieri illorum, quæ antea non obtinuimus, & quanto plus rebus illorum accedit honestatis, & decoris, tanto magis & nostram Rempublicam augeri credimus. Nec ab omnibus tamen simul Prædicantibus propter eorum multitudinem, sed solum a Græcensibus, Ducibus & antesignanis reliquorum: atque hoc ideo, primum, quia dedecet hos animarum Prædones, quotidie libere ante oculos obversari tuos, in eaque morari civitate, in qua est primaria Sedes Catholici Principis, & ibidem in tuo quasi conspectu, certe orthodoxorum omnium cum probro palam quotidianas in DEUM, Divosque omnes horrendas profundere blasphemias. Deinde in iis profligandis nihil fore difficultatis, nil periculi propter præsentiam tuam, certe mihi persuadeo, quæ ad reformandam quorumcunque insolentiam est sufficientissima. Ergo hic incipienda est Reformatio & in opus deducendus principalis animi tui erga Catholicam Religionem zelus. Nec armis hic opus censeo, nec verberibus, nec bonorum direptione, sed uno solo, serio, ac inviolabili decreto, cum ad Styriæ Deputatos, quorum Imperio Prædicantes ipsi subsunt, tum  
ad



ad Prædicantes ipsos, ut intra definitum temporis spatium Provinciis tuis exeant, a docendi munere abstineant, nec interea quidquam contra hanc mentem tuam, poena gravi refragatoribus constituta, machinentur. Quod si feceris, rem, mihi crede, totam confeceris: exhibunt absque tumultu, & absque omni contradictione Prædicantes, non solum isti, qui sunt Græcii, sed & reliqui timore, & tremore correpti, illorum vestigia vel sua sponte sequentur. Videbis tunc Principatus tuos ab omni hæresi expurgari, & sensim subditos omnes redire ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem, quod ego, nescio, qua permotus animi divinatione, certe ita futurum polliceor. Non enim ea est Prædicantium vis, vel natura, vel conditio, ut suæ Religionis causa periclitari velint: ventris ergo venerunt, ventris ergo cedent. Vix edictum tuum increbuerit, vix programma pependerit in curia, in foro, in vestibulo Synagogæ Iathanæ, quam incoluit, mox velut testudines in suas se cochleas timidi, tacitique abdent, protinus sua convasabunt, extemplo in pedes sese, sua in sarcinas conjicient. Videre jam videor gratum tuæ Serenitati, bonisque omnibus spectaculum, primumque de debellata hæresi in istis tuis Provinciis triumphum. Si quis tamen exi-



stimat hunc quoque processum non omnino vacuum fore periculo, quasi non defuturi forte sint, qui defendere velint Prædicantes, non repugno, ut urbs in omnem eventum aliquantulo muniatur præsidio, usque dum cæptum Reformationis opus perficiatur, ad compescendam hominum levissimorum, si qui fuerint, insolentiam, & bonorum salutem conservandam. Atque hoc ego sentio, non quod adversi quid timeam, sed ut timidorum conscientiaë consulam.

Habes Serenissime Archidux! quid ego de reformanda, hoc belli tempore, in tuis Provinciis Religione sentiam? quæ si Instituto tuo convenient, vehementer gaudebo; si autem contrarium, mihi sufficiat tuis paruisse jussis, tuamque fecisse voluntatem, quam rebus omnibus antepono. Mihi certe sine fuce meam mentem aperire, quod jufferas, mens fuit, atque ut, quod quisque probat, sequatur, Ambrosium sequi mihi, quidni vero & tibi Serenissime Princeps! gloriosissimum duxi: DEO quisque militat (inquit Ambrosiana Suada) & qui intimo colendum recipit affectu, non dissimulationem, non conniventiam, sed fidei studium & devotionis impendit. Iphis gentilibus displicere consuevit prævaricantis affectus: libere



bere enim quisque fidele mentis debet suæ  
 servare propositum. Quod si aliqui nomi-  
 ne Christiani tale aliquid decernendum non  
 putant, mentem tuam nuda vocabula non  
 capiant, nomina cassa non fallant. Quis-  
 quis hoc facit, sacrificat Idolis, & quisquis  
 hoc statuit. Habes Princeps, quo loco ha-  
 bere debeas, qui simulare te docent. DEUS  
 mentem tuam in optimam partem dirigat,  
 nosque omnes, qui sub alis tuis degimus, in  
 restauranda re Catholica voti compotes fa-  
 xit. *Lavanti 13. Calendas Septembris an-  
 no 1598.*


Archidux interea se ad opus destinatum  
 accinxerat, cujus occasionem dederat, an  
 ex composito fecerat? Parochus Græcensis  
 Laurentius Sunabendter, Maximiliani Erne-  
 sti Archiducis Præceptor: is die 13. Augusti  
 ejusdem anni 1598. Prædicantes convenit  
 per literas, exoptulando, quid adeo sibi su-  
 merent ipsi in alieno ovili pastores agere? in  
 Parœcia Græcensi & Baptisum, & Pœni-  
 tentiam suo more & Cœnam ministrare, &  
 Sponfos jungere & humare mortuos, &  
 verba facere contra jus fasque? tum com-  
 minatur, ni ab ejusmodi desistant, expertu-  
 rum pro officio remedia severiora. Hæc ni-  
 hil morati præcones, tenere pergebant so-  
 len.



lenne suum , Parochum ne quidem responso dignati. Rursum ille post biduum, die 15. Augusti, Superintendentem fundationis, sive scholasterii (quod nuper æmulatione Jesuitarum erexerant) Adamum Venediger J. U. Doctorem aggreditur; pastorum contumaciam accusat, monetque uti refractarios pro potestate ad officium adigat. Ille excusare, negare se aut Superintendentem, aut Episcopum esse; sed minimum duntaxat Ecclesiæ Evangelicæ & Scholarum inspectorem: quare partium suarum non esse, ministerio in querelam vocato facere moram. Epistola stilo roboreo, & agresti composita ferociam prodebat. Tandem die 18. Augusti responsoria prodiit a Prædicantibus: cavillabantur Parochum, quod ejusmodi petere sit ausus: annos esse complures, quibus hæc factitassent, obstrepente nemine: ad ista accitos esse Superiorum invitatu: ageret Parochus cum Deputatis, qui evocassent. Sed ille denuo instare, monere, misereri, adeo cæcatos esse, ut jus & rectum non cernant; a quibus autem accersiti essent? nempe a Provincialibus, qui nec Advocati, nec Domini beneficiorum nec alio jure freti essent, ad ipsorum tegenda cœpta, nisi læsa Principis Majestate, datum 22. Augusti. Quo itidem die literas alias porrexit Deputatis



tatis Provinciæ, precatus, uti jura tuerentur sua: se ne Catholicum quidem Sacerdotem in sua sede perperurum, nedum novati verbi ministros. Lutherum ipsum ita censere, jus eripi suum posse nemini; dum etiam daretur, veritatem a Romanis ad Lutheranos defecisse. Ad hæc perhumaniter scripta, Deputati cruda quæque & aspera: postulationes oblatas rejecere ad comitia proxime cogenda: multis Parochum dehortati a consiliis paci & tranquillitati publicæ noxiis, datum 22. Aug. Post triduum Parochus denuo supplices obtulit: illi responso supersedere primum: tum instanti imperavere silentium, prætextu tranquillitatis publicæ per ejuscemodi scriptitationes non laceffendæ, die 30. Aug. Hæc obtinendi propositi optata fuit ansa, per istam gradationem quæsita: Parochus ad Archiducem provocavit, qui mox in causam ingressus edictum proposuit die 13. Septembris, quo jussit Prædicantes intra dies quatuordecim ab urbe Græcio, reliquisque Provinciæ oppidis faceffere. Hæc sententia Decreti, quod primum ad Provinciæ Præsidentem ac Deputatos transmissum, omnes in stuporem dedit, inopes consilii; nisi quod ad preces conversi, libellos alium super alium concepere, quibus Principem obsidebant, fati-



gabantque ad mitigandum Decreti rigorem, Verum is, ut res poscebat, immobilis eorum spes omnes amputavit, iterato, quod ad diem 23. Septembris emisit, imperio: terminum fixit dierum octo, intra quos certo se certius auferrent; capitis etiam denunciato supplicio in eos, qui per id spatium aut ad populum e suggestu dicere, aut aliud externi cultus exercitium celebrare sustinerent. Eo forte die, habenda erat concio: ubi dum hærent, dum deliberant, tempus concionis effluxit; atque sic intermissus primum cœtus: illi tamen tricari, torpere, nihil simile discessuris facere: quibus mox aliud fulmen intortum est: octiduo nondum elapso, die 28. Septembris repetitam ad eos mandatum, adjecta pœna capitis, ut ante solis occubitum extra sint urbem Græcensem, nec amplius octiduo detinere se audent intra fines Provinciæ. Sic mora tumultuandi præcisa, sic scena peracta est: excessere Pastores Græcenses, mox & Judenburgenses, & alii, frementibus incassum Ordinibus, quorum obtestationes ad Principem, & hujus vicissim responsa, non fuerit abs re, summatim enarrare.

Cum primum Archidux, decretum peremptorium adversus Prædicantes tulit, deputati

putati conjunctis operis bene longum con-  
 didere scriptum , quo enixe contendebant  
 a Principe , refigi decretum , causati detri-  
 menta , quæ patria posset ex ejusdem per-  
 petratiōe capere. Tum queri , lamenta-  
 ri , Principem ab homine nullius consilii  
 (Parocho videlicet) ad hæc impulsū esse,  
 ut excidium fidei suæ , quæ esset unica ad  
 salutem via , moliretur. Multi autem e-  
 rant in exaggeranda tranquillitatis publicæ  
 cura , Turca finibus imminente. Dat. 19.  
 Septemb, Sed eorum tergiversatio Prin-  
 cipem hoc amplius impulit, ut destinata con-  
 stantius perficeret. Igitur in eo , quod 23.  
 Septembris publicavit, mandato , in vectus  
 in eorum contumaciam , quod indictas Præ-  
 dicantibus exilii leges nondum essent exe-  
 cuti , jussit , ut morem illico gererent. Ob-  
 jurgabat ad hæc temeritatem calami , quo  
 scribere sint ausi , Principem non suo judi-  
 cio , sed aliorum duntaxat e sententia res  
 gerere. Illud autem quam imprudenter di-  
 xissent : fidem suam unicam salvificam esse ?  
 scilicet ita dicere , Majores Principis , qui  
 aliud longe fidei genus tenuissent , omnes  
 esse damnatos Orco. Illam ad extremum  
 naniam de tranquillitate publica ne toties  
 ad nauseam ingererent ; arroganter facere,  
 qui velut immemorem ejus curæ Principem  
 admo-



admonere toties auderent , & ejus rei fo-  
licitudine se conficerent. Satis eo demon-  
strare , conatus ipforum de edicto antiquan-  
do inopes esse ab ratione , qui ab re tam a-  
liena argumentum peterent. Silerent ita-  
que deinceps , ni sibi vellent indignationem  
Principis accersere , haberentque certum  
suis precibus & lamentis nihil unquam de-  
latum iri. Dat. 23. Septembris ejusdem an-  
ni 1598. subscriptus : Petrus Casa.

Sed illi nihilo deterriti repetivere sup-  
plices die sequenti , recocta rationum crum-  
be , nisi quod insolito verborum artificio  
demulcere Principis animum satagebant ;  
dat. 24. Septembris , quibus mox altero die  
redditum responsum , paterne admonitis ite-  
rum iterumque , ne moras porro neckerent ,  
ministeriis Lutheri in Ecclesia locum ne da-  
rent. Hunc in modum dejecti spe sua De-  
putati , eo se vertere , ut in eandem arenam  
immitterent Ordines Provinciæ , sectæ suæ  
confortes. Hi Principem objurgando ,  
dubites , an deprecando ? per literas ag-  
gressi , primum Cœli terræque Dominum  
suæ causæ patronum inclamabant. Dein-  
de exprobrabant sua majorumque suorum  
pro re communi & Austriaca merita , exhau-  
stas curas. His aliam longe gratiam refero-  
ri



ri par esse, atque per ejusmodi abominandum, ut vocabant, & insolens decretum. Memoria tenere superiorum Principum indulgentiam, qua secum pro suis promeritis egissent, nectale quid unquam in Status Evangelicos designassent. Sed nempe scire se hoc, quidquid est, flammæ, suscitatum esse sufflantibus Jesuitis, quorum hominum heri natorum cum adversariis fidei congregandi ratio ab illa priscorum Ecclesiæ Patrum longe abhorreat: illos enim non ferro sed calamo innocuas ac sine sanguine agitate lites: hos e converso nullum victoriæ genus honestum ducere, nisi quod sanguine multoque sudore hostium stetit. His & talibus per calumniam ingestis ad extremum obtestabantur Archiducem, consuleret per DEUM salutem ipsorum, bono Patriæ; revocaret edictum: testabantur se interea, dum res penderet, Evangelii sui functionibus operam, ut antehac, in Ecclesia daturus. Denique & illud admonebant, uti rei militaris Præfectos a delectibus faciendis revocaret, ne rumori, qui vulgatus esset, conciliaret fidem, opinandique sequiora causam præberet. Datum 26. Sept.

Facile FERDINANDUS intelligebat, cœptum indies operosius fore, si paululum mo-



do daretur moræ. Jam Deputatos cum Ordinibus junxisse capita, jam clandestinos agitare conventus: minus jam promptos ad jussa Principis adesse: voces indies audacius tolli; Principem exarmatum velle: jam ipsos Prædicantes infano æstu concursando, concionando, privatim, publice nullo non loco bacchari, convitia Catholicis facere, omnes insolentiæ modos exercere. Igitur accelerandum ratus, octiduum novissime Prædicantibus definitum contraxit, anticipavitque terminum peremptorium biduo, affixo ante meridiem diei 28. Sept. quod nuper diximus, mandato, uti eodem die ante solis occasum exirent: simul ad Deputatos scripsit: mirari se eo progressos, ut Provinciales in partem vocarent: & frigidiores esse ad imperata, & clancularios inire cœtus, & novum usurpare nomen: Provinciam Confessionis Augustanæ, & mira verborum libertate indulgentiam majorum suorum obgerere sibi, nihil memores causæ, qua fuerint ad hæc indulgenda adacti, calamitate temporum extortum esse, cujus inde pœnitentiam satis superque declaraverint, emendaturi procul dubio, nisi morte occupati. Certum haberent, his exemplis incitari se ad faciendum potius, quid ipsi statuerint animo, quam quid facere potuerint;

neq






nec unquam deserturum officium boni Principis in procuranda salute cunctorum. Id non Parochi Græcensis, non Jesuitarum instinctu facere, sed suo prope judicio, neve ætatem existimarent suam talibus imparem consiliis: meminisse quidem anni, quo prætextam posuisset; attamen intelligere probe, repudiandum esse, quod pravum: suscepisse patrocinium Parochi; at nullius injuria, Dominum esse & Advocatum feudorum; officio cogi, ut jura suorum salva præstet & integra: tum ubi de fide agatur Catholica, ita prorsus natum esse, ut ejus salutem etiam fuso sanguine redimendam putet. Ipsorum misereri sortem, qui ad saniora furdi consilia, DEUM Judicem provocent. Quod suum esset, adhibiturum DEO preces, ut meliora demum sapiant, ne velut zizania in falcem collecta sempiterno cumentur igni. Quod autem de meritis meminissent in domum suam, esse, quod reputarent, Austriacorum Principum res pro ipsorum & patriæ commodo gestas, si componantur ad bilancem, illis longe antecellere. Quibus enim se, sua, penates, liberos, familiam adversus Turcas & hostes alios propugnatum deberent? nequaquam tamen tam inhumanos esse majorum Austriacorum posteros, ut labores suorum magna fide exantlatos nullo



censeant habendos loco; ignorare ipsi pos-  
 sent opima præmia, quibus Austriaci suo-  
 rum obsequia, quanto cum studio munerari  
 consuessent? extulisse honoribus; prædiis,  
 redditibus auxisse. Quæ tandem intellige-  
 rent aliquando, postquam toties occinuis-  
 sent merita sua. Intelligent etiam licen-  
 tiam illam scelerum nunc plus solito grassan-  
 tium, de qua quererentur, non ex alio pro-  
 manare fonte, quam ex ipsorum novandi  
 studio: cui malo non aliunde parabilem es-  
 se medicinam, quam e novantium proscrip-  
 tione: quos homines cui tandem bono re-  
 tinendos putarent, quorum ministerium vel  
 ipsis auctoribus obire profanus quisque rite  
 possit? sin Sacerdotem mallent, in promp-  
 tu esse de Catholicis plurimos, qui satis ip-  
 sorum desiderio facere queant. Jam illud  
 identidem inculcatum de tranquillitate pub-  
 lica, missum aliquando facerent, metum po-  
 nerent frivolum omnis periculi secuturi. Di-  
 vina pariter & humana subsidia præsto fore.  
 Illam etiam curam de milite, qui scriberet-  
 tur, abjicerent; certi, non ad vexandos  
 Provinciales aut Deputatos, sed ad compe-  
 scendam, si quid moliretur, plebem desti-  
 natum esse. Ad extremum confirmat, se  
 cuncta, quæ superioribus edictis imperas-  
 set, velle firma & rata: Datum Græcii 28.  
 Septemb. subscriptus: Joannes Harres,

Sed os obstrui impatientibus haud potuit. Confusi animis, maxime ob improvifum adeo tonitru, tamque præcipitem imperatum Prædicantium excessum, obmurmurationibus parum verecundis clementiã Principis requirebant: quibus ille, ut in tali tempore, minime censuit connivendum: literas reddidit, quibus graviter objurgatos vetuit hac in causa deinceps vel hiscere. Dat. 30. Sept. Ita silentium aliquamdiu fuit, Principe, quo magis pro imperio rem gereret, minusque timoris ostenderet, tanto felicius rem exequente. Dilapsis Græcio Prædicantibus dimicandum erat viritim cum Nobilium quibusdam, qui id genus homines clanculum obtegebant, his nominatim intentata pœna capitis fugam per-suasit. Deputati vero, quas domi frustra consumpserant, & jam palam effundere non audebant querimonias, ad vicinos Austriæ superioris Ordines non parce deferunt. Græcensis urbis Parochum eundemque Maximiliani & Leopoldi Archiducum Præceptorum pessimorum consiliorum postulant, hoc auctore jussos exulare Pastores, interdictum Augustanæ Confessionis exercitium, doctrinam Evangelii in extremo sitam, hoc unum superare, ut ipsi una preces ad DEUM pro communium sacrorum incolumitate jungerent.



rent. Datum Græcii 23. Octobris. In eandem fere sententiam, nisi quod acerbioribus in Archiducem querelis, ad eosdem superioris Austriæ Status refertam epistolam dedere die 5. Novemb. quibus illi dolorem suum ob Evangelii persecutionem prolixè contestati, ad constantiam primum inter adversas adeo res; deinde habendam in se fiduciam, qui defuturi fratribus in loco neutiquam essent, hortantur. Dat. 16. Nov. Sic annus 1598. inter illorum fremitus & consternata consilia ac Principis bene coepta constanter urgentis quotidiana certamina feliciter exiit. Edictum subinde publicatum, quo jubebantur Feudorum Sacrorum Domini, ut pro Parochiis & Beneficiis Sacerdotes Catholicos Episcopo præsentarent, idque intra spatium duum mensium: sin id facerent, Principem pro officio facturum. Sacerdotes, Judices, Parochi sedulo curarent, ne tempore Divini Ministerii negotiatio exerceretur, librorum hæreticorum lectio etiam privata interdicta esset, clauderentur sectariorum scholæ. Officiis Divinis per instrumenta musica majestas conciliaretur. Nemo Protestantium in civium reciperetur numerum, neque ulli cuiquam concederentur jura civium citra consensum Parochi.



Imminebat bellum a Turcis. Convo-  
cantur Ordines trium Provinciarum Styriæ,  
Carinthiæ, Carniolæ ad undecimum Janu-  
arii anni 1599. Hic sibi copiam datam in-  
terpretati sectarii negotium suum cudendi,  
frequentissimo præter solitum numero con-  
fluxerunt: capita censebantur quinquagin-  
ta supra centum, videlicet uti partes suas  
contra Catholicos multitudine firmarent.  
Horum ut erat idem conveniendi consilium,  
sic studia mirifice conjuncta, quum institu-  
endus esset congressus, negabant se rogatio-  
nem ullam admissuros ad aures, priusquam  
definiretur a Principe, quid agendum sibi,  
quid expectandum in negotio Religionis es-  
set. Tum querelas & gravamina contule-  
runt in medium, speciatim questi contra no-  
vissimum decretum, quo sanciebatur, ut  
spatio bimestri feuda Ecclesiastica Sacerdoti-  
bus Catholicis traderentur. Reprehende-  
bant vocem Concionatoris aulici Jesuitæ:  
Archiducis animum tam esse a Lutheri sacris  
alienum, ut levius duceret excindi venas  
omnes de corpore, quam Lutheranorum  
deferre votis. Alia multa prolixissime que-  
rebantur, quæ fere ad hæc capita recidebant.  
Nullum Archiduci reformandæ Religionis  
Jus esse post indultum Muræpontanum, post  
Juramentum ab ipso factum de protegendis



Provincialium privilegiis. Tum demon-  
strabant interitum commerciorum per civi-  
um copiosorum divitumque discessum: odia  
imperialium, quæ sibi Princeps conflaret.  
Consilia desperata, ad quæ percussi adigeren-  
tur; addidere minas: si orando nihil profice-  
rent, alia capturos consilia, jusjurandum in-  
ter Principem & Provinciales esse mutuum;  
alterum ex alterius observatione constare,  
læsione solvi, atque alia hujus generis de  
tranquillitate publica; de turbulentis Jesui-  
tarum consiliis &c. Datum 22. Januarii.

Ad ea FERDINANDUS non vacare sibi in  
præsens aiebat excutere singula: quin potius  
curas ad rem Comitiorum verterent; ve-  
rum illi detrectare, studio Catholicorum  
obstiteret, sic, ut Deputati literas gloriatio-  
ne plenas ad Austriacos supra Anasum mitte-  
rent, in quibus multa de concordia Statuum  
Confessionis Augustanæ prædicabant, spes-  
que ostentabant haud modicas reformatio-  
nis tollendæ. Datum die 24. Januarii. FER-  
DINANDUS interea ad Ordinum objecta re-  
sponso dato negabat teneri se indulto Muræ-  
pontano, cujus ipsi legibus minime stetissent,  
raptis parœciis, Catholicis jure civitatum  
exclusis, aliisque rebus per vim & armata  
manu gestis, atque illud, si nescirent, in-  
dul-

dultum a CAROLO Patre siclatum, ut vellet  
extingui cum vita. De privilegiis, quæ  
jurasset ipse, sic haberent; jurasse in illa, quæ  
data olim essent Catholicis, & ea sententia  
jurasse, qua Principes decessores, priusquam  
hoc novitium dogma aut natum aut visum  
his in terris esset; abstinerent porro de jure  
Principis litem movere sibi: eodem se uti ju-  
re, quo Dux Bavarix in ejiciendis Calvinis-  
tis & Protestantibus; quo Palatinus, Saxo,  
Brandeburgus in proscribendis Catholicis.  
Tranquillitatem publicam, de qua angeren-  
tur, hanc ipsam demum esse, quæ sibi rerum  
politicarum non ignaro inter potissima mo-  
menta sit non omittendæ, quod vellent, sed  
urgendæ reformationis: quæ enim tranquil-  
litatis spes iter dissidia sacrorum? ubi rem-  
publicam necesse sit instar navigii perpetuis  
agitari seditionum fluctibus: quod abunde  
proderent hæc ipsa tempora, quam ab illis  
longe diversa, quando has provincias, ani-  
mis omnium uno Religionis vinculo con-  
junctis, pax aurea continebat, cunctorum  
studia ad defendendam patriam, propulsan-  
dos hostes nullo negotio conjungebat. Id  
agere reformando: tranquillitatem publi-  
cam quærere, felicitatem cupere omnium:  
eam nusquam certius inventuros, atque in  
vero & sincero DEI cultu: inde enim favo-



rem, tutelam Numinis, Benedictionem, quæ lucrorum & commerciorum omnium felicissimorum instar esset. Mitterent igitur supervacanea lamenta: sibi fixum esse ab hac mente nunquam, quoad spiritus & vita suppeteret, discedere, nec perduellibus ulla in parte deferre.

Hac repulsa non compositi sed irritati Comiciales Acatholici novum tentaverunt arietem: quippe die Februarii mensis octavo gravaminum bene multorum volumen obtulere, quo & irreverenter in Principem & aspere multa dicebant; cavillabantur responsa nuper data; vitio dabant alia; nec nulla obgerebant importune, sibi nomen Provinciæ tribuebant. Reformationis consilium agebant conceptum esse instinctu hostium æternæ veritatis, ac potissimum Jesuitarum. Obtrudebant Archiduci legendam expendendamque Confessionem Augustanam velut puræ veritatis nucleum, olim summo omnium Ordinum consensu in Germania approbatam & receptam, nullique mortalium ab eo die molestam aut noxiam, quin & a CAROLO Archiduce mutuo datis vicies centenis numorum aureorum millibus confirmatam. Principem potestate sibi data abuti ad excruciosos animos, infringenda Privilegia, tol-

len.



lendas immunitates a tot regnantibus appro-  
batas, atque ab ipfomet Archiduce jureju-  
rando confirmatas, meminisset se non abso-  
lutum esse Principem, sed certis finibus cir-  
cumscriptum: potestatis modum contineri  
mensura legum Imperii, quæ omnibus liber-  
tatem Religionis permetterent, in quo si ob-  
staret, sciret DEO magis obtemperandum,  
quam hominibus, in re præcipue, quam  
tantis pecuniarum pensitationibus redemis-  
sent. Octodecim annorum spatio ad non-  
genta florenorum Rhenensium millia pen-  
diffe: tam caro emptam libertatem nunc in-  
grate sibi & per injuriam eripi; quin & feu-  
dis avitis nullo suo crimine spoliari: & civi-  
tatibus animas curandi copiam adimi, Pa-  
storibus ejectis; Sacramentorum usu veti-  
to, ereptis doctrinæ sinceræ libris; & ista  
quod quererentur, perduelles appellari;  
turbari rempublicam, patriam omnem in ru-  
inam impelli. Denique minabantur DEUM  
vindicem, foedifragorum Uladislai Regis &  
Eugenii Papæ exemplis. Accumulatæ præ-  
terea multæ de sacris Paginis petitæ ratio-  
nes. Postremum obtestantur Archiducem,  
libertatem a Patre concessam ac diu relictam  
conservare ne gravetur; sic rem facturum  
DEO gratam; consulturum sibi, patriæ sa-  
luti, ac tranquillitati omnium; alioqui fo-  
re,




re, ut adacti desperatione populi vertantur in furorem, designentque extrema quæque, etiam Turcis in auxilium advocatis.

Hunc in modum Comitia trahebantur obfirmato ad omnia Principe, & istis, nisi decreti abrogationem extunderent, nullum querelis & obrestationibus facientibus finem: cum demum rem ad Cæsarem deferunt RUDOLPHUM; eum controversiæ postulant arbitrum, querimoniis iisdem contra FERDINANDUM instructis onerant, inter cætera stomachantes de decreto, quo vellet popularium filios e Gymnasiis revocatos in Jesuitarum disciplinam tradi, idque fieri mandaverit intra spatium hebdomadam quatuor; libros Evangelicos vetuerit legi aut decantari, ne domi quidem suæ; eoque amplius, ut ne quisquam exercitiis Evangelicis interesset: civem reciperent, nisi Parocho Civitatis approbante, neminem; nec admoverent officio publico: in oppidis & civitatibus tribunalium præsides & inspectores constitutos esse Parochos. Datum 20. Aprilis anno 1599. Commotus tandem FERDINANDUS eos luculento scripto putavit objurgandos, quod in summam redactum hic sistimus.




Primum jussit in animam inducere, quo tandem sensu Principi capienda sit summa verborum insolentia, temeritasque, quam in scriptis semel atque iterum porrectis declarassent. Deinde quid hoc sit rei, quod ipsi nomen affectent, Provinciæ Confessionis Augustanæ, ac velut corpus singulare constituere gestiant? gravationes suas obtulerint nomine Provinciæ? nisi nescirent, Provinciam ex Episcopis, Prælatiis, Dominis & Equitibus præterea civitatibus & oppidis conflari, atque nec Episcopos aut Prælatos, nec oppidanorum quenquam in ipsorum literis habere partem: de optimatibus etiam & nobilibus restare plurimos in avita fide constantes. Quid igitur auderent ipsi uni Comitibus moram facere? causam suam ad omnes vulgare? turbare Catholicos a capiendis in Turcam consiliis? patriam in discrimen apertum conjicere? agerent, caverent patientiæ suæ deinceps illudere, nisi remediis gravioribus compesci malint, neque enim moveri se multitudine, quæ præter morem Carnioli præsertim & Carinthi convenissent; intelligere, quo ista spectarent, quo conventicula clandestina; quibus etsi speciem obtendant honestam concordiæ & unionis; satis tamé patere contumaciam & arrogantiam, qua rebus utiliter gerendis obicem ponant



nant, tempus comitiorum fallant, Provinciæ sumptus dilapident, Majestati Principis, Religioni Catholicæ derogent, cum incremento nefandæ suæ sectæ: cogi se demum nisi fœderibus istiusmodi & necessitudinibus mature nuntium remittant, ab insolentibus cœptis abstineant, pro republica in commune consulant: indagare media, queis ipsos ad officium adigat. Cessarent a maledictis: se reformationem suscepisse non hostium æternæ veritatis impulsu, sed solo Divini Spiritus instinctu; purissimoque desiderio Religionem majorum, evulsis zizaniis restituendi. Ferre diutius haud potuisse blasphemias voces & calumnias, quas Prædicantes ipsorum & pœdagogi in Ecclesiam, DEUM & Cœlites tantâ licentia effudissent; aliaque patrassent infanda, ob quæ supplicia longe graviora promeritos, exilio tantum punitos esse, mirari ipsos clementiam Principis agereque gratias, quam queri convenire. Ipsam illam Confessionem Augustanam, quam sibi legendam obtruderent, fontem esse malorum, quem obstruere velit, velle doctrinam ab Orthodoxis Patribus, ab universo Ecclesiæ Romanæ Concilio toties declaratam, qua & ipse sic sit imbutus, ut ex ipsorum dogmatibus, quæ sibi porerissent, veritatem condiscere necesse non habeat



beat. Cœcitatibus misereri eorum, qui posthabita tot Episcoporum, Abbatum, Doctorum aliorumque Patrum Catholicorum, Mysteria Fidei integre profundeque callentium, auctoritate, Prædicantibus illiteratis adhæreant, neque prodigiis, quæ tot in basilicis monumenta veterum loquuntur, evigilent. Id se nunc agere, ut aliquando tandem suo bono resipiscant, quod consilium et si per temeritatem ab usum potestatis appellent, conscientis & privilegiis vim facere dicant; scire tamen se probe, quid FERDINANDUS AVUS divæ memoriæ, quum ex ipso libertas Religionis peteretur, egerit, nempe abnuvit diserte, quin & vetuit edicto anni 1551. libros Lutherum olentes vendi; scire & Parentis CAROLI voluntatem, qua concessionem a se factam nequaquam voluit ad posterum pertinere; sublaturus ipse certo certius, si per vitam licuisset, idque propter ipsorum excessus enormes, quos contra pacta concessionis admiserint. Scire & vim juramenti, quod dixerit: jurasse non Ordini tantum Equestri, sed etiam Ecclesiastico: quid ni igitur æquum censerent, possessiones istorum avitas, non heri primum aut nuper obtentas, sed ætatibus & sæculis jam pluribus certo jure possessas, quas lupi rapaces invaderent, ab injuria prohiberi? an autem  
aliud



aliud quid meminissent a se promissum? se certe probe recordari, protestationibus ipsorum, quas tempore fecissent homagii depensi, ne hilum detulisse minime nescium, se jus indubitatum ad Principatum, nihil ipsos juris ad protestandum habere. Quo rursus intoleranda sit temeritas, qua se toties admoneant jurisjurandi, cujus alioqui religione nihil antiquius habeat, & pro conscientiae suae integritate detestetur vel umbram perjurii, cujus se tacite insimulent, quem enim vel apicem demonstrare possent in privilegiis ad suae sectae tutelam? pias & laudabiles consuetudines confirmasse: his tamen longe abest, ut imputetur usus Augustanae Confessionis, quam constat, nec populi totius consensu, nedum Principis receptam, legitime consuetudinis conditione destitui: non piam esse, sed impiam, & Evangelio adversam. Quid autem sibi de legibus occinerent Imperii Romani? de arbitrio Caesaris? an nescirent privilegia domus Austriacae? postquam ipsi in jus Austriacorum venerint, praesidium ab Imperio contra legitimum Principem implorare non posse; nec ea, quae sanxerint in terris suis haereditariis Austriaci, ab Imperio aut Imperatore rescindi. Jam speciosum illud: DEO magis obtemperandum, quam ho-



hominibus; plane ad suum propositum face-  
re; hoc plane esse, quo dies noctesque ur-  
geretur ad extirpandum hæreticum dogma,  
eliminandos hæresum profeminatores, hoc  
imperium esse DEI, quod merito ante ho-  
minum voluntatem haberet; in quo si ipsi  
diversum sentirent, sinerent aliquando sibi  
glaucoma de oculis detrahi; animumque  
inducerent, religionis & obsequii adversus  
DEUM legitimi iudicium non ad ipsos perti-  
nere, sed ad legitimos Christiani populi Pa-  
stres, qui potestate ex Apostolis continua-  
ta, tot sæculis confirmata de Religione pro-  
nuntiandi jus habent. Hoc ipsos arrogare  
sibi non debere, utique, quod nec ipse sibi  
Princeps arroget, sed manus duntaxat prote-  
gendi veros DEI Ministros, etiam gladio,  
si res deposcat. Verterent tamen oculos ad  
populos Imperii? ubi tandem visuros, in  
causa Religionis legem scribi Principibus a  
populo? quo magis insolens sit, ipsos secum  
de Potestate Principis disputare, cui & tri-  
buta sua toties obgerent, ingratum voca-  
rent, nempe pro beneficiis, quæ si tandem  
forent, satius ipsos facturos e monito Cato-  
nis: Officium alterius multis narrare me-  
mento; ast aliis cum tu benefeceris ipse, si-  
leto. Verumtamen tributa, quæ pensitas-  
sent, cujus tandem commodo? privato Prin-



cipis, an patriæ? an non in rem communem  
 ac publicas necessitates, quo singulorum res  
 & salus continetur? Qua in re quid adeo glo-  
 riarentur officium a se factum, tanquam Ca-  
 tholici aliquando defuissent, quos constet  
 & amplius longe & promptius contulisse? sed  
 nempe tributa venditare, & harum imme-  
 mores rerum, & præterea meritorum Au-  
 striacæ Domus, quæ pro subjectorum bono  
 innumerabilia sint. Reliqua, quæ quære-  
 rentur de feudis Ecclesiasticis: facere Prin-  
 cipem pro officio, si pias majorum donatio-  
 nes perinde ut morientium quorumvis su-  
 premas tabulas sartas tectas conservet: &  
 legibus patriæ cautum esse; ubi feudi domi-  
 nus officio desit, in arbitrato esse Principis,  
 ei per virum quemvis idoneum consulere:  
 qua ipse tamen potestate perparce sit usus, ni-  
 si ubi animas cura Pastoris destitutas vidisset.  
 Id plane agere, ut in oppidis & civitatibus  
 Pastores idonei ne desint; ab his Mysteria sa-  
 cra ministrentur, quæ de Catholicis etiam  
 Sacerdotibus legitime suscipi vel ex ipso Lu-  
 thero discerent. At quæ tandem ipsorum  
 partes essent, de oppidis & urbibus Provin-  
 ciæ verba facere? eorum loco querelas de-  
 ferre? sibi Principi regendi reformandique  
 normam præscribere? de factis suis censu-  
 ram facere? quasi vero nescirent insolentiam






Prædicantium, quam in oppidis passim exercuerint, Parochianos a Curione ordinario avertendo, jura Parochorum Catholicorum asserendo sibi, aliaque talia sexcenta, per quæ abunde dederint causarum ad indicendum exilium, quorum vicem ne subirent malesani libri, imitatum se esse FERDINANDI Cæsaris exemplum, vendendi copiam sustulisse: cui decreto, si mos olim rite gestus fuisset, næ haud unquam hæreticæ pravitatis incendium tam late manasset. Jam his adeo a se ratione factis, experiri tamen adeo contumaces in præsentissimo patriæ periculo, Turca jam pulsante fores, & mirarentur perduelles vocari, qui non aliud quam exitium patriæ parare videantur? sibi id nomen, sibi tribuere, suoque agendi modo, quo rempublicam corruere, indiesque pejus habere necesse sit, profecto clementiam Principis adhuc obstitisse, quo minus sit innoxios animadversum, sicut par erat, & exempla stimulant Lutheranorum, quam ipsi sævitiem alibi locorum in Catholicos ediderint, cum qua si modestiam humanitatemque Principis componerent, non ægre assecuturos, quam miti clementique Domino uterentur. Ne vero diu quærerent excessus intolerabiles & graviter plectendos, eorum summam hic recensere: oppidanos



hæresi per Prædicantes corrumpi, & Prin-  
 cipi contumaces reddi: Subditos a Pro-  
 vincialibus ad conciones hæreticas cogi, ab  
 Officio Divino Catholici Pastoris arceri; a-  
 digi etiam ad annum stipendium Prædican-  
 ti pendendum: diebus vetitis ad esum car-  
 nis, ipsis Apostolorum diebus ad operas fa-  
 ciendas compelli: ac fuisse nonneminem,  
 qui Sacrosancto die Corporis Christi subdi-  
 tis mandaret evectionem fimi; quod cum  
 facere recusarent, ausum esse villicum per  
 mediam procedentium pompam adauctis e-  
 quis & curru insolentissimum solemnitati  
 probum adferre. Nonnullos Provinciali-  
 um arreptis contra jus fasque Parochiis &  
 Ecclesiis Parochianos deflentes Officiorum  
 Divinorum & Sacramentorum usu exclusisse.  
 Sacella in castellis complura diruisse,  
 invasisse Beneficia sacra, aliaque talia per  
 vim patrasse. Prædicantes jungere Matri-  
 monia personarum, quibus nefas sit conve-  
 nire: approbare divortia, quæ fieri legiti-  
 me non liceret, pœnam adulteris ex antiquo  
 statutam, ut ad Ecclesiæ fores includantur  
 numellæ, substulisse: quibus rebus futurum  
 sit, ut commixtio barbara & promiscua ve-  
 nus invalescat. Ordinarios loci, Episcopos  
 & Prælatos a repetendis parœciis arceri ar-  
 mis: prohiberi a visitationibus: spoliari re-  
 di

ditibus sacris, more antiquissimo encœnio-  
rum sublato: in Viros sacros indigna quæ-  
que per insolentiam committi, quorum il-  
lud horrendum, quo nuper essent ausi Sa-  
cerdoti Catholico Sacrosanctam Eucharisti-  
am ad ægrum deferenti, de collo dereptam  
eripere. Eo licentiam evasisse, ut non mo-  
do officiis publicis Senatoris, Judicis, ci-  
vium Catholicorum admoveant neminem,  
sed in censum civium ne recipiant quidē, ni-  
si juratum Confessioni Augustanæ.

Hæc & talia quod sibi porro toleranda  
Princeps haud existimet, quis ei cordatus  
succenseat? quis aut male de republica omi-  
nari, aut patriæ ruinam aut popularium in-  
teritum, quæ sibi identidem minarentur, ex-  
pavescere ratione queat? se certe fide in  
DEUM fretum esse, ac plane certum, ipsum  
ob infinitum in mortales amorem hujusmo-  
di conatibus deesse non posse, qua fiducia  
ut sint, judices omnes admonere, planeque  
velle, uti exemplo virorum Judæ sibi Davi-  
dis personam referenti more fidelium admi-  
nistrorum adsistant, privatis affectibus rele-  
gatis partes suas, ubi res poscet, strenue præ-  
stent. Denique illud de suppliciis fœdifra-  
gorum Uladislai Regis & Eugenii Papæ, re-  
sponso ne quidem dignum esse, quem enim



foedifragum designent; quid foederis ipse cum subditis, quid pactorum de Religione suscepisset? origines calamitatum, quas hæc Provincia & universa Germania tempore Lutheri adierit, longe alias & esse, & facile ab omnibus intelligi. Postremo scirent, velle, jubere Principem, uti ad Officium se redigant, seditiosis cœptis abstineant, in populo motus ne serant; secus non defutura supplicia, quibus comprimi & compesci refractarios oporteat. Denique declarare rursus, quod toties factum sit, hanc esse mentem, hanc voluntatem Principis, quam ad ultimum vitæ spiritum sit retenturus. Decretum per Serenissimum Archiducem die ultimo Aprilis anno 1599. Petrus Casal.

Spes erat hac animosa FERDINANDI constantia contusos demum esse tumidos frementium spiritus; quum & machinationibus obsepta suis omnia, per idonea præsidia studiaque Catholicorum viderent: & spes ab Imperii Principibus, aut Cæsare nulla supererit. Archidux enim id omne, quod egerat, decreveratque, cum RUDOLPHO accurate communicavit; a quo literæ rescriptæ die 25. Augusti, quibus hæc omnia habebat rata. Deputati tamen Provinciæ, ad quos novissima Principis sententia fuerat trans-



transmissa, stilo nihilo, ac alias, modestiore rescripserunt, protestati se scriptum Principis cum Statibus Evangelicis communicaturos. Datum 22. Julii, ejusdem anni 1599. Ea protestatio peracerbe Principi doluit, quippe videnti se falsum opinione sua. Itaque e vestigio literis ad eos denuo datis admonuit, ab hujusmodi protestationibus abstinere: nihil esse, quod animo sibi fingerent, ulla unquam re Principem a cœpto reformationis avocandum. Sed inania scilicet erant præcepta, nisi manus ad opus ipsum admoveretur: igitur ambagibus præcisissimis iussit Parocho civitatis jus reddi, Templum Gracense occupari; deditque ejus rei negotium Camillo Suardo Regiminis Consiliario, Hieronymo Manicordio & Angelo Costede Doctoribus: qui claves Templi bonis pactis impetrare quum e Deputatis nequirent, vi demum adhibita possessionem ædis feliciter ceperunt, postquam in Lutheranorum potestate fuisset annis triginta: nam eam Provinciales ejus sectæ, Provinciæ sumptibus, anno sæculi octavo supra sexagesimum erexerant. Ad eundem modum emissi per provincias Administrum cum stipatore milite. In Styriam superiorem, ubi species quædam tumultus a ferri fossoribus oppidi Eisenarzt, eruperat, de quo facunde Georgius Episcopus



pus Lavantinus in epistola dudum recitata. Commissarii præter Andream Herberstorffium, Joannem Admontensium Abbatem, erat & Albanus de Mosheim Camerae Consiliarius, ac Fridericus Paar Veredorum Præfectus. Ruricolæ supra Leobium vias publicas cœsis arboribus obstruebant, qui per militem quidem ab opere deterriti, in oppido tamen concursu multitudinis ingenti, Legatos frustraturi erant, nisi subsidiis a Cœnobio Neomontensi & Aflenz opportune submissis ad imperata facienda mature compulsi, Templum Curioni Catholico traditum, libri hæretici in foro combusti, repetita de manibus privilegia, coryphæi vehiculis abrepti Græcium. Inde itum ad oppidum Rotenman, ubi Joannes Hofmanus non obscura nobilitate vir, idemque inter præcipuos sectæ tutores, ædem ministeriis Lutheranis posuerat supra sepulcrum gentilitium. Die 15. Novembris oppidani in verba adacti: Templum flammis traditum, muris nitrato pulvere disjectis. Memoriae proditum est hoc in oppido sectas viguisse tres, Flacci, Lutheri, & Calvinii.

Radkerspurgum inferioris est oppidum Styriæ, tunc factionis Lutheranae nidus. Martinus Seccoviensis Episcopus pro Herber-

berstorffio demortuo subrogatus die 17. Decembris opportunitate nebulæ, militum agmen immisit ( id enim consilium suaserat metus, ne vicinorum Hungarorum ope motus ab oppidanis fieret ) die sequenti ad senatum & populum verba fecit, de excessibus objuratos, jussit arma, tabulas privilegiorum, libros ad curiam comportare. Senatoribus exauctoratis Catholicos adlegit, Parochum urbi cum potestate Superintendentis præfecit: tum, qua pollebat dicendi vi, jam universos jam singulos adhortatur; deducit errores, ob oculos posuit flagitium desertæ majorum fidei, quæque alia videbantur in rem opportuna. Verumtamen, quidquid ageret, exhauriri tamen sentina non potuit, quo necesse fuit operam anno sequenti repetere. Faciliores præbuere se Marburgenses, apud quos die festo Epiphaniæ anni 1600. cœpta reformatio, tam secundo profectu, ut omnes cum fide Romana redirent in gratiam, præter Nobiles nonnullos, qui ne tabem cæteris adfricarent, locum vertere jussi sunt. Die 15. Januarii Petovienses eadem facilitate manus dedere: sic Feistricenses, Ganaviceses, Zelejenses. Istorum tamen erant nonnulli, qui sibi receptaculum designaverant Templum insigne & elegans in loco Schar-



fenau : id placuit funditus everti : in quo sedulam operam navabat Centurio Paarius, qui & ædem apud Wintenuum cum domo pastoris, scholis & cœmiterio solo æquavit : idem Schrattenhofii aliisque in locis fecit. Consilium erat Archiducis ipsa vestigia Lutheranismi excindere, & scilicet quieti consulere, ne prætextu advocatiæ aut juris fiduciarium in ejusmodi loca, quod sæpe antehac evenerat, turbæ cicerentur ab A catholicis, aliæ tamen, quibus id periculi non suberat, Ecclesiæ potissimam partem intactæ, ritibus Catholicis initiatæ sunt.

Perpurgata fere Styria secunda Commissariis Græcium reversis, haud diu tamen isthic feriari licuit, Archiduce moras non ferente. Martinus Episcopus cum suprascripto Albano a Moshaim, Angelo Costede & Christophoro Prankio, Styriam repetiere superiorem. Quacunque faciebant iter, de pastoribus Catholicis, de sacris ædibus, de locorum primoribus sagtangebant, libros corruptos, eorumque propolas & circitores suspectos vestigabant. Judenburgi substitere, quo evocatis ex agro vicino popularibus eadem imposita conditio, uti aut Lutherum aut patriam desererent,





rerent, inventi sunt, qui posterius ma-  
luere, perpauca; idem de templis, de Sa-  
cerdotibus, quod alibi constitutum. Inde  
profecti ad fines Styriæ, in oppido Neu-  
mark offendere ruricolas tumultum specta-  
ntes; quos Prankius illico conductis e vi-  
cinio trecentis armatis compescuit: duo re-  
cens in loco Lint extructa templa diruit:  
clausæ oppidi fores, tum objurgati de re-  
bus nuper attentatis, Episcopo de erroribus  
differente, quatuordecim demptis, re-  
liqui cuncti Lutherum ejurarunt. Pari  
successu res acta Silbergii & Teuffenbachii,  
quum essent e vulgo, qui manibus in Cœ-  
lum sublatis plauderent sibi, rediisse de-  
mum tempora, quibus prisca Majorum sa-  
cra colere liceret. Die 6. Aprilis ventum  
Muraviam, quod oppidum haud longe a ca-  
pite Muri amnis abest: Parochi per loca di-  
stributi, ad S. Leonardum, Heiligsteinam,  
Spitalium, Ranten, Scheder, Payrs-  
dorff, ad S. Georgium, S. Laurentium,  
S. Ægidium, Cæciliam, Rupertum: fa-  
na quoque in Sradel & Altenhoven recens  
extructa demoliti sunt. Octavo Aprilis  
reversi Judenburgum, inde per alpes ap-  
pulere Voitspergam: parochia loci cum ec-  
clesiis vicinis in Pak, Hirschegg, Modriah,  
Ligest Sacerdotibus orthodoxis traditæ.  
Præ-



Præpositus Seccoviensis etiam rabulam sub  
 tecto domus abditum protraxit in lucem.  
 Denique successus erat omnibus in locis,  
 quam quisquam crederet secundior, de quo  
 Commissarii Principem edocturi, Græci-  
 um tenuere. Is ferrum, dum candet, ex-  
 cudendum ratus, eosdem continuo ad in-  
 ferioris partem Styriæ dimisit, illam, quam  
 e cœnobio Canonorum Regularium Vo-  
 raviensem Quadrantem vocant. Hic Epi-  
 scopus denuo Radkerspurgum adeundum  
 putavit: nondum enim sentes videbantur  
 extirpatæ funditus. Die Mensis Maji tri-  
 gesimo locum ingressi, triumphum isthic  
 theophoricum solenni ritu peregerunt, Tum  
 nonnullis in quæstionem vocatis impera-  
 tum exilium, quod homines alieno gra-  
 ves ære, rerumque omnium inopes hoc  
 libentius susceperunt, lucrati titulum, quo  
 deinde Germaniam oberrantes diligenter  
 usi sunt, multorum misericordia velut E-  
 vangeliî causa ad manticam redactis, con-  
 ciliata. Mox ad alia, tum alia progressi  
 loca, ad S. Florianum, Fürstfeldam,  
 Burgaviam, Neudaviam, Eberdorffium,  
 Wertham, ad S. Bartholomæum, Wolf-  
 gangum, Stubenbergam, Weizium, ad  
 S. Udalricum, Pirkfeldam, Gleisdorffiû,  
 Angeram, ad S. Rupertum, exterminato  
 Luthe-



Luthero Catholicos Sacerdotes inducunt; duo delubra solo æquant: & fuere Prædicantes duo cæteris ad amplectendam fidem Catholicam duces. Quibus rebus peractis denuo Styriam adiere superiorem. Oppidani Eisenarcenses quantumvis compressi, multi tamen animos in secta obstinaverant; apud quos demum salutaribus verbis tantum profectum est, ut intervallo dierum quatuor ad Ecclesiam redierint, præter octodecim, universi, quare & deductus oppido, qui adhuc infederat, miles, & adempta furcarum, quæ defixæ stabant, ignominia, & ædicula, quam in usum sectæ recens erexerant, everfa. Eadem necessitas sapere docuit incolas loci Rädmer, ubi cuprum effoditur. Archidux etiam templum excitavit sumptu suo: quo per hyemem, via nivibus impedita, rem divinam præsto haberent, id templum anno 1602. Seccoviensis præfente FERDINANDO cum matre, conjuge, fratribus, fororibus, die S. Laurentii dedicavit. Longum sit recensere vicos reliquos & oppida, quibus turmatim accessiones factæ sunt ad fidem innumerabiles, admirantium semetipsos, quo tandem Fascino correpti desistere aliquando ab institutis majorum ad illatum temere dogma potuerint. Denique

res.



res fere sic acta, ut vix esset, qui repugnaret, adeo libentes volentesque se mandato Principis dedebant, exceptis Kinbergensibus, qui paulo cæteris duriores; Schopfenbergenses etiam principio reformationis indictæ, vasa conclamabant unanimi sententia: sed apud utrosque res ad extremum pro voto cessit. Tantum Episcopus hortando, monendo potuit, ut pauculis demptis cuncti cervicem submitterent, hæc acta sub medium mensis Julii anni 1600. Soli erant exempti a compulsione Nobiles, quibus tamen imperatum, ut Magistros alieni dogmatis missos facerent, exercitio suæ Confessionis abstinerent, neque extra provinciam Sacramenta suæ sectæ capesserent.

Cæterum Seccoviensis tantis rei Catholicæ manubiis onustus sub mensis Julii finem reversus est Græcium, ubi censu inito deprehensum, decem Ecclesias Lutheranorum everfas, cum cœmiteriis septem supra quinquaginta, reliqua in usum Catholicorum translata, animarum autem millia, quanta redigi nequaquam poterant in numerum, ad priscam fidem autem reducta, aut proxime (nam jurati spondere debuerant) reditura; paucissimi, quos

error



error dementaverat , mutatis laribus ab reliquorum contagione submoti. Restabat manus ultima : reformatio urbis Græcensis. Die 27. Julii publicata Principis jussio, uti die postremo mensis ejusdem cives omnes & inquilini Græcenses , Doctores, Procuratores , Nobiles & mediastini ( solis Provincialibus exceptis ) ad ædem parochianam se sisterent , idque sub mulcta centum aureorum : illic hora sexta matutina principium reformationi fore. Mandatum præterea Contuli , Judici & Senatoribus, uti omnium civium & incolarum nomina referrent in tabulas, exhiberentque, cum opus esset , Commissariis. Datum Græcii 27 Julii anno 1600. subscriptus Wolfgangus Kaltenhauser reformationis Secretarius deputatus.

Die constituto ventum ad ædem sacram. Archidux ipse cum universo aulae comitatu se stitit. Subsellium extabat in templi fere medietate ; ad id Commissarii quatuor consedere : adsistebat Senatus cum civibus , nemine ullo desiderato. Tum Episcopus Seccoviensis ambone consensu oratione bene longa differuit , primum de origine doctrinæ Lutheranae , de vita moribus , levitate , sacrilegio , apostasia Lu-  
the



theri ; de inconstantia imperitiæque Philippi Melanctonis, de Confessione Augustana, ejusque apologia & libro concordia; de pugnantibus inter se sententiis, cum librorum, tum Prædicantium Lutheranorum ; de antiquitate, amplitudine, constantia fidei & Ecclesiæ Catholicæ ; de Serenissimorum CAROLI & FERDINANDI in hæreticos & perduelles subditos patientia & amore : quæ cum copiose graviter dixisset, concio tantisper decedere jussa est, dum singuli pro Commissariorum arbitrio viritim evocentur : quod continuo factum : quæsitum de singulis nomen, conditio, institutum vitæ, & religionis hætenus cultæ, ac deinceps colendæ propositum : ubi compertum a tempore susceptæ per Provinciam reformationis, publicatiquæ Prædicantium exilii resipuisse permultos, sic ut Catholicorum numerus capitibus duobus & triginta Sectarios excederet, porro istis denunciatum, ut in vestigio decernerent, Plerique nihil cunctati gelsere morem ; reliquis, ni idem ad diem præstitutum facerent, imperatum, ut quantocyus pedem efferrent, quærerentque cœlum suis rationibus conveniens. Id negotium biduum tenuit, Seccoviensi rursus ac sapius e suggestu perorante, Eodem tempore Adamus

Venediger Doctor, ætate gravis, inter se-  
 ctæ principes per militem stipatorem edu-  
 ctus urbe, relegatus a patria, redituque  
 prohibitus: paulo post ipsis Augusti Ka-  
 lendis Erasmus Kurz tribunalis Provinciæ  
 librarius, vadimonium in crastinum obire  
 jussus est. Octavo diemensis Augusti con-  
 vocati denuo cives ad faciendum fidei Ca-  
 tholicæ jusjurandum, quod maximo plero-  
 rumque studio deponsum est. Sub ejus-  
 dem diei vesperum pro porta Divi Pauli  
 constructo rogo, librorum millia facile de-  
 cem absorpta sunt flammis: quem prope  
 locum Archidux biduo post lapidem pri-  
 mum in fundamenta cœnobii Capucinatorum  
 immisit.

Deputati Provinciæ studiis Archidu-  
 cis, ut semper alias, hic etiam oblecta-  
 ti die, quo reformatio fiebat, literas ad  
 Seccoviensem dedere, rogatum, uti apud  
 Principem pro Officialibus Provinciæ stu-  
 dium interponeret, causati detrimenta gra-  
 via, quæ per istorum exilium impenderent:  
 extollebant singulorum merita ac ætatem  
 in obsequio Principis exactam: speciatim  
 questi de Adamo Venediger, Erasmo Kurz,  
 de quæstore vectigalium, Secretario, Lo-  
 gista, commentariensi, quorum hominū



excessu fore, ut & ipsi Deputati officiis  
 fungi suis rite nequirent, & Provincia,  
 cujus illi rationes, magnas, parvas intime  
 perspectas haberent, cæteroqui bellis affli-  
 cta, præsentissimum adiret periculum; &  
 ærarium publicum, rationum tabulis non-  
 dum confectis, esset innumeris implecten-  
 dum tricis, damnumque faciendum aut  
 æris aut fidei publicæ, factorum nominum  
 nemine, præter ipsos, rite conscio. Sua-  
 debant, ut positis ob oculos incommo-  
 dis Principem ab incæpto deducat. Da-  
 tum Kalendis Augusti, anno 1600. Po-  
 stridie supplices ejusdem argumenti ad i-  
 psam Archiducem attulere. Quibus ille  
 perpaucis: sententiam Commissariorum  
 antiquare non posse; proinde ne facerent  
 hac super re verbum: imperatis obedien-  
 tes essent. Quo accepto Deputati consi-  
 lia cum Ordinibus miscuere. Hi proluxo  
 denuo scripto propositum urgent. Datum  
 14. Augusti, id pariter irritum; quin  
 paulo post amandatur in exilium Provin-  
 ciæ Secretarius Erasmus Fischerus: hic rur-  
 sum Deputati intercedere protestando. Dat.  
 19. Augusti, quas uti & superiores literas  
 Archidux prompto responso confixit, ju-  
 bens cura liberos esse: non defuturos, qui  
 munia commode gererent. Adami Vene-  
 di-





diger ne meminissent : hominem ob nefaria literarum commercia gravissime plectendum , tam molli manu tractari , clementiæ Principis imputarent. Sed infinitus sim , si hæc aliaque ultro citroque scripta memorare singula parem : bene magnum literarum volumen sola causa Adami Venediger efficiat. Id demum Archidux quiritantibus dedit , ut Officialium nonnulli gauderent induciis ad exordium anni proxime venturi. Satagerent interea Deputati de viris idoneis in eorum locum subrogandis : ipsique Officiales concionibus Catholicis diligenter adessent. Datum 29. Octobris 1600. Paulo post Ordines induciarum terminum prolatari rogarunt : tum & preces fecere pro legulejis , quorum duodecim erant omnes , uno dempto, Lutheri discipuli : per horum abitum erat, ut causæ , quarum patrociniū suscepissent, remanerent infectæ. His de rebus FERDINANDUS , ut res poscebant , benigne vel sæcus decrevit : nonnullis exilii terminum ad diem S. Martini, sequentis anni distulit, de aliis aliter constituit , certaminibus hisce inter Provinciales & Archiducem ad menses aliquot anni 1601. continuatis. Cæterum invictus ille in eo , quod agebat , negotio nihil remisit.



Pari felicitate per Carinthiam & Carnioliam coeptum processit, adnittente cum primis Episcopo Lavantino Georgio, qui premendæ sine mora reformationis auctor erat. Summa rei rursus ad Episcopum Seccoviensem delata, Collegis Comite Ortenburgio Carinthorum Præside, Hartmanno Zingelio, Angelo Costede, Christophoro Prankio, & Wolfgango Kaltenhausero; qui iter ingressi die tertia Septembris cum militum trecentorum manu, per Muraviam Styriæ superioris oppidum, quod eandem ob causam revisere placuit, inde flexere Gmundam oppidum Carinthiæ primum, ad Salisburgensium fines, nihil hic operæ fuit; nihil in villis circumstitis, omnium animos flexerat DEUS, ut hæresim ocyus abdicarent, ritu simplici communionis acquiescerent. Sic ad S. Petrum in Renvveg, Abererz Griest, Oberdorff, Haanig, Milpach, Aydenberg, ad S. Georgium, Frankenberg, Azenberg, Strangel, Schleiff, ad S. Nicolaum, Purstalberg, Cremsberg, Nering. Hujus postremi loci populares tanto fervore studium suum testati sunt, ut ipsi præventis legatorum mandatis ædem, in qua præceptores errorum nuper declamaverant, ultro diruerent. Die Septembris undecimo tractum illum  
agri,



agri, quem Dravus annis perluit, adiere. Saxenburgi erant, quum ad eos perfertur de agrestium vicinorum motu: rumor erat octingentos censer. Quibus illi terroribus reddidere vicem, ut intrepide negotium agerent, quodque alibi fecerant, & isthic oppida, vicos omnes adigerent in verba Principis & Ecclesiæ Romanæ. Lindtium, Stainfeldam, Redtach, Greiffenburgum, Traburgum, Irschenam, Millerstorffium, Grosheimium, Oettingam, Spicallium, Vellachum, Cremunzium, Stallum, Falckensteinium, Saxenburgum, Poldersdorffium, Molzbühl, Weissensteinium, vicum ad S. Petrum, Lisereggium, Pusarnizam, Maur, Köttschachium, ad S. Danielelem, Graffendorffium, Rattendorffium, Kirchbachium, Tröppelach, ad S. Stephanum, S. Andream, Ermachorum, ad S. Georgium, S. Leonardum, S. Magdalenam, Wasserburgum aliaque, nullo quoquam piis conatibus offerente moram, nedum imperium detrectante. Sarcinatores tamen erant duo, quorum alter, jam se nonum sacras paginas evolvisse gloriabatur: alter gibbo pariter & insolentia tumidus cum pædago Flacci Sectario, qui per statos dies ad populum garriverant, apparitoris officio de finibus educti sunt,



Subinde novus terror allatus est: rusticorum millia quatuor in armis esse, fœdus inter se pactos, montana, quæ inter Treffenū & Millstadium porriguntur, excubiis obsedisse; reformatoribus parare vim inter angustias montium, suspensis ex edito saxis, queis obruerent subeuntes: vias arborum concæde, semitarum in morem arctasse, spatio commeandi, nisi singulis, impedito: & Villaco nunciatum, cives res novas moliri: id oppidum est copiosum ad amnem Dravū in ditione Bambergensis Episcopi, ac mirum dictu! & Clagenfurtensibus tantum audaciæ, tantum opum esse, ut sexcentos armarent, simulata quidem re, quam agerent, cæterum haud obscuro seditionis consilio. His de rebus Deputati Carinthiæ legationem ad Commissarios adornarunt, ad oppidum Spitalium, ubi tunc agitabant: hos rogare, monere, a proposito desinerent, materiæ ne præberent irritatis designandi pejora: invisum esse populo juramentum, quod peterent, intolerandum exilium, ut & pensionem decimæ partis. His illi nequaquam commoti monuere: Principem æqua petere: quiescerent, obedirent; reformationem nemini gravem, præterquam contumacibus fore. Interea Princeps admonitus de Clagenfurtensibus additen-

tenſibus pro merito ſtatuit : ut refractarii privilegiis , bonis ac fortunis omnibus exuti eſſent : ac tumultus ut temere coeptus erat , ſic brevi reſedit , at illi inſtitutum proſecuti reliquas Provinciæ partes citra motum obiere : Millſtadium , Gnæſam , Weitensfeldam , Gurcam , Straburgum , Zolfeldam , S. Georgium , S. Petrum , Oſtervvizium , Friſacum , Altenhoffium , Hittenbergam , Vöſkelianum , Griſſium , Wolfsbergam , Veldkirchium , Himmelbergam ; aliaque , quæ occurrerant , omnia Sacris Catholicis auctoravere . templum apud Wolfſpergam cum cœmiterio demoliti ſunt . Tum Villacum adituri menſe Octobri , jam propinquabant , cum interpretes ab oppidanis obviam miſſos accipiunt : negare cives , militi daturus introitum . Quibus Epiſcopus : parebitis , inquit , imperio Principis ; is vetuit rem agi ſine milite : jubebat tamen agere ſecuros ; curaturum , ne quid offenſionis acciperent . Illis ad hæc invitis , miles urbem per vim ſubivit . Initium reformationi datum in aula Prætoris Bambergensis die 25 , Octobris . Seccoviensis verba fecit , cauſas adventus , pravitatem hæreſis , aliaque id genus executus , horas fere quatuor oratio tenuit , arrectis omnium auribus ; fructus



Etus idem, qui alibi, rediere propemodum in ordinem; testati rem aliter, ac essent experti, composuisse animis, hanc lenitatem si prospexissent, nemini fuisse ulli venturum in mentem, ut vim contra pararent. Horum exemplo cœteri Bambergenses vectigales in officio fuere, Tarvisani, Malbergetani, Pleibergenses, Rabelienses, Arnoldsteinenses,

Progressi dehinc ad oppidum S. Viti patres exitus habuere: eo Deputati Clagenfurtensium accesserant consternati ob edictum Principis nuperum, quibus hæ leges dictatæ sunt: exercitio Confessionis Augustanæ in perpetuum abstinerent: pastores hæreticos cum ejus farinae ludorum magistris ejicerent: arma ponerent: milites, quos collegissent, ad oppidum Völkelianum amandarent: stipulatoribus Commissariorum probrum ne facerent: ipsi Deputati voluntates civium reformantibus accommodarent. Tum die Novembris undecimo Clagenfurtum subiere, contra, quam nuper imperaverant, accepti; cives armati vicos urbis obsidebant: neque cœtera legatorum respondebant votis. Nam Episcopo vim omnem & eloquentiæ per biduum contendente nihil profectum est; obduratis ad omnia,



omnia, sententia jubente Principe dictata: uti spatium bimestri vel abjurarent hæresim, vel excederent finibus, nunquam redituri; tum impositus Parochiæ Sacerdos Orthodoxus, cui templi claves cum sacris instrumentis in vestigio traditæ. Ecclesiam Xenodochii, clavibus ademptis, obseratam voluere, quoad usque aperiri Principi placeret. Quibus actis Græcium ovantes reversi sunt, ingenti bonorum omnium applausu, reputantium res tantas tam brevi spatium gestas. Quippe vix annum exisse, quo Provincias duas tam amplas, tam late sparsis erroribus obsitas, non obire modo vicatim, sed etiam purgare funditus, mutatisque tam subito voluntatibus omnium, velut in novum hominum genus reformare potuerint; idque sine tumultu, tam placide contra spes opinionesque plurimorum, qui sursum deorsum omnia motum iri, Principem fortunis, ditionibus, vita ipsa periclitaturum crediderant. Sed nempe omnia bene vertit ille, cujus agebatur causa, DEUS. Cæterum reputanti modum, quo res gestæ sunt, tria potissimum videntur in Principe fuisse ad hoc efficiendum momenta: primum mens optima, qua non aliud quam salutem suorum sibi propositam esse, tam erat omnibus ma-



nifestum, ut nemo ambigeret; deinde fortitudo & constantia, qua contra minas, obtestationes, preces, artes, machinationes omnes, ac nonnullorum cauta nimum consilia perstitit invictus; postremo celeritas, qua motus omnes, qui suboriri, Intercessionem Principum, querelas aliaque, quæ morari poterant, antevertit. Sic mollissima manu, sine sanguine, sine exercitu, quod pauci speraverant, omnia confecit. Cæterum his in omnibus animadversa DEI manus, quæ ripientium primum animos ita demum flexit, ut plerisque necessitas ipsa parendi non accideret ingrata; tumultus nonnullibi gliscentes una Principis jussione vanescerent, conspirationes diffluerent: cum singuli feroces essent, in commune tamen obedientiam præstarent. Recte Stobæus Episcopus ipsam FERDINANDI fortitudinem inter opera DEI admiranda reputat. Unum restabat, ut quod adeo feliciter effectum erat, etiam in posterum tueretur: in quo quod plurimum momenti haberet vita Sacerdotum, eo curam vertit, ut Episcopi diligenter excubarent, si qui Sacerdotum sacrilegis essent illigati conjugiiis, si qui concubinas haberent aut scorta: literas dedit ad Salisburgensem, Aquilejensem, Gurcensem, Lav-





vantinum, monitos ut infames pro pote-  
 state plecterent: sibi deliberatum esse, hu-  
 jusmodi in terris suis locum non dare. Et  
 illud placuit, in Carinthia sodalitium Je-  
 suitarum constitui, qui velut in statione  
 collocati parta tegerent, novatorum mo-  
 tus & insidias arcerent. Destinaverat hunc  
 in usum Princeps Præposituram Ebern-  
 dorffensem, quæ cæteroqui pro temporum  
 illorum fato deserta pene, dilapsis cœno-  
 bitis, erat: res acta cum Pontifice, diutius,  
 quam res posceret, & Archiduci ac Epi-  
 scopis gratum esset, pependit. Episcopus  
 Lavantinus Georgius Stobæus negotio re-  
 formationis defunctus deplorabat inopiam  
 idoneorum virorum, qui gregem recens  
 ad ovile revocatum fidei mysteriis imbue-  
 rent, errores plene dedocerent, erudien-  
 da juventute rerum bene cœptarum fir-  
 mitati consulere: & ipse CLEMENTEM Pp.  
 VIII. per epistolam obtestatus est, uti con-  
 silium erigendi apud Clagenfurtenses Col-  
 legii ratum haberet.

Sanctissime Pater! post Sanctitatis ve-  
 stræ pedum oscula. Cum proxime elapso  
 mense Novembri a Provinciæ hujus & au-  
 læ negotiis vacationem nactus meam Diæ-  
 cesim visitare, & extra eam in Carinthi-  
 am



am oculos circumferrem, miserandam sane ibi Ecclesiæ faciem, non sine ingenti dolore partim aspexi, partim auditione ab aliis accepi. Parvuli petunt panem, & non est, qui frangat illis. Errant tanquam oves sine Pastore; cives & rustici ad Ecclesiam Catholicam adjuncti, quid credere, quid facere debeant, nesciunt; & dum ignorant, quæ DEI, quæ salutis suæ sunt, æterno & sanguineis lacrimis deplorando exitio intereunt, pro quibus DEI Filius mortuus est. Ea calamitas visa, & audita non pupugit tantum, sed & vulneravit conscientiam meam; & quod mihi ipse silentium indixeram, rumpere compellit: testisque meus in Cœlo, & conscius meus in excelso, quod nullius hominis suasu, consilio, inductione; sed sola rei indignitate, & tot hominum de salute periclitantium multitudine, ac officii mei religione permotus hanc extremam necessitatem Sanctitati vestræ exponam. Ego quod meam addecebat personam, ut qui & Episcopus sum, licet indignus, & Serenissimi Principis FERDINANDI hic vicem obeam, in reformandæ Religionis negotium assidue incubui, illudque pro viribus meis promovi, quod pene confectum gaudemus; sed desunt operarii, qui in hanc vineam Do-  
 mini

mini Sabaoth, in hanc summi Patrisfamilias messem mittantur. Et quia magis obvium, certum ac salutare remedium non vidi, quam ut in Carinthiæ Provincia Societatis JESU Collegium excitaretur, ut Jesuitæ tum per se concionando, juventutem instruendo, doctrinam Christianam tradendo, & aliis suis muniis; tum per eos, quos pie doctèque informassent, istam calamitatem averterent; in omnem ejus Collegii ædificandi occasionem, oculos mentemque intendi: quam oportunam valde cum affulisse viderem, si Præpositura Eberndorffensis huic instituto applicaretur, Serenissimo Principi nostro auctor fui, ut eam omnibus modis a Sanctitate vestra peteret; nec eam e manibus suis elabi pateretur, nisi subditorum sanguinem a se divinitus reposcendum vellet. Fecisse officium suam Serenitatem existimo, ut qui & subditorum suorum, & Religionis propagandæ amantissimus est. Quid autem huic pio instituto moram afferat, me latet, vereor tamen, & valde vereor, ne aliqui quærentes potius, quæ sua sunt, quam quæ JESU Christi, non satis candide Sanctitatem vestram de miserrimo illo statu Provinciæ & Collegii necessitate informent. Cujus rei metus & propriæ conscientiæ instin-



stinctus, me renitentem impulerunt, ut qui in privatis causis sileo, in publica necessitate tacendum non nisi cum crimine putarem. Humillime rogo, Sanctitas vestra, ut verus Pastor Dominici gregis istas oviculas Carinthiacas commendatas habeat, meumque hoc scriptum boni consulet, ac diutissime Ecclesiae DEI incolumis praesit. Lavanto Mense Decembri Anni 1600.

Huic epistolae subjicio duas alias ejusdem auctoris, quarum utraque & propter elegantiam & ob exactiorem argumenti, quod describimus, cognitionem lectu dignissima est; quum enim res belli cum Turcis pejus haberent, ob jacturam Canisae, quae anno 1600. facta est; deinde ob infausam ejusdem loci obsidionem, quae suscepta fuit anno sequenti, calamitas publica novatoribus ansam dedit erigendi capita, occinendique vetus illud suum: affectare imperium in conscientias hominum perinde esse, ac coeli arcem invadere, ac plerumque trahere jacturam potestatis terrenae. Sic illi funestos belli casus in reformationem religionis conferebant, quae passim obtrectando sopitam nuper hominum licentiam excitaverunt, ut postero-

ra

ra pene fierent deteriora prioribus , omnia  
 priorem faciem induere viderentur ; nam  
 in conventiculis inter se agitandis multi  
 esse , deliberationes de revocandis Prædi-  
 cantibus habere , contumaciam & sediti-  
 onem spirare , probris , convitiis omni-  
 que insolentiæ genere in Catholicos uti ,  
 ne in Principem quidem temperare : hu-  
 jus ut in reliquis sapientiam agnoscebant ,  
 unam pietatis & studii Catholici exorbi-  
 tantiam velut hominis inter aras & vittas  
 educati , & ex his potius , quam reipub-  
 licæ procurandæ ratione ; denique totum  
 se e matris & Clericorum ac præcipue Je-  
 suitarum suggestionibus conformantis ac-  
 cusabant & criminabantur ; & jam per Ger-  
 maniam omnem fama reformationis vulga-  
 ta ; multi ubique gentium sermones , alio-  
 rum id extollentium ad Cœlum , aliorum  
 cavillantium : ac politicorum plerique pro-  
 videntiam Archiducis desiderabant : rem  
 adeo periculofam tali tempore , sine præsi-  
 diis cœptasse. Jam factio Novatorum cla-  
 moribus , questibus implere cœlum , de-  
 vovere FERDINANDI & Jesuitarum nomen :  
 eorum fremitus & iras non epistolæ modo  
 lamentantium e provinciis missæ , sed & mi-  
 serabilis exulum species , qui Germaniam  
 pererrabant , incendit. Igitur undique li-  
 teræ



teræ dehortatoriæ, supplices, minabundæ,  
 objurgatoriæ aliæque id genus ad Archi-  
 ducem perferebantur, qui rerum æstus per  
 annos aliquot tenuit: quum interea susce-  
 pta Carniolix reformatio anno 1601. pari  
 felicitate processit: quam nos uberius de-  
 scribere, quod ea Provincia Salisburgen-  
 sium jure non continetur, supersedemus.  
 Per id tempus in Styria quoque & Carin-  
 thia inter multorum inutiles fremitus res  
 Catholica pulcherrime reflorescebat, indi-  
 esque corroborabatur: quum essent etiam  
 e Nobilitate nonnulli, qui lumen veritatis  
 oblatum agnoscerent, errores palam re-  
 cantarent, manabatque exempli vis ad ple-  
 bem, ut jam pestilens illa verecundia Ca-  
 tholici nominis, quæ multos eatenus ab-  
 sterruerat, exolesceret penitus, ac lupi cum  
 agnis amica demum societate coalescerent.  
 Proditum est anno 1603. in hisce Provin-  
 ciis per solemnes Paschæ ferias numerum  
 ad sacras epulas post expiatis confessione no-  
 xas accedentium ultra quadraginta mille,  
 quod tum portento simile videbatur, accre-  
 visse. Sed hæc veluti primitiæ fructuum e-  
 rant, quibus uberior indies respondit mes-  
 sis, sic, ut deinceps non centeni aut mille,  
 sed myriades censerentur possent. Inter hæc ta-  
 men non defuere de Provincialium Ordine,  
 qui



qui forte rati resedisse per tempus in Principe primum illum reformationis æstum, in spem veniebant eblandiendi ex ejus clementia liberi, quod etiam Nobilibus vetitum erat, exercitii veniam, quin & edicta superiora & proscriptiones aboleri petebant. Eam in rem etiam a Consiliis nonnullos conciliaverant, quorum sententia erat, non extremo rigore cum Sectariis agendum esse: alioqui fore, uti collectis vasis Nobilitas potior e Provinciis demigret, Principem in his rerum necessitatibus destituat, quæque nervum succidat. Agitata res non segniter; itum in sententias ultro citroque: quum FERDINANDUS inter alios & Stobæum Episcopum in consilium adhibuit: is hunc in modum differuit.

Magna est tua in DEUM DEIque religionem pietas, Serenissime Archidux! magnus in pietate progressus: paucis annis imperas: exiit octavus, cœpit nonus: paucioribus vindicandæ religioni studes: vix successit tertio quartus; & jam tuis auspiciis respirant, qui pene perierant, Catholici; vix spirant, qui illis dominabantur, Hæretici, adeoque de istis illi triumphant. Quæ cum sit maxima nominis tui gloria, tum eam vehementer adauget, quod in hoc



sancto Reformationis negotio, quæ facis, sponte natura facis, nullius indiges com-  
 monitionis aut consilii. O heroem nulli pietate secundum! consilia tamen aliorum prudenter exquirere soles, ut eo firmior sit sententia, quo plurimorum approbata fuerit iudicio: quemadmodum nunc, quid ego ad Provincialium Novatorum postulata de permittendo Lutheri dogmate deque rescindendis contrariis Edictis agendum, quidque respondendum existimem, datis ad me literis benigne rogas. Ego vero tametsi satis intelligo, non opus esse in hoc meo consilio, quod quæ DEI, quæque Religionis sunt; jam pridem tenes omnia, tamen ne sapientissimo tuo iudicio videar facere præiudicium, ad interrogata duobus duntaxat verbis respondeo, quamquam mentis potius meæ, quam consilii mei significatio hæc est: *Imitare te metipsum.* Sed dabis mihi veniam, si hæc ipsa verba paulo fusius explicavero.

Primum igitur velim in memoriam redigas, ab initio tui regiminis causam vindicandæ Religionis nostræ, quam serio cogitaveris, quam animose susceperis, & quam constanter hucusque egeris. Ut autem sic faceres, non te impulit casus, non

reme-





temeritas, sed DEUS, sed populus, sed munus tuum. Provide & prudenter facta sunt omnia. Memineras enim, velle DEUM ab hominibus cognosci, coli, celebrari. Nititur his ipsius gloria. Noveras populum fidei tuæ commissum salutem poscere; idcirco Verbum caro factum est. Sciebas denique munus tuum utriusque procuracionem exigere; DEI enim minister es; idcirco enim DEUS in hoc mundo suos habet Vicarios, Cæsares, Reges, Principes, ut divina ipsius placita executioni mandent. At horum nihil recte fieri potest sine fide Catholica, sine qua nemo placuit unquam, sine fide (inquit Apostolus) impossibile est placere DEO. Porro fides salva non est inter hæreses, non magis inquam, quam radii solis inter nebulas, aut navis inter maris procellas, aut semen inter spinas. Quare ut DEO, ut populo, ut muneri tuo faceres fatis, merito nihil habuisti prius, quam ut procul hinc pellas novæ Religionis profeminatores, & in pristinum statum reponeres fidem Catholicam. Tantis vero rem tantam aggressus es animis, ut Te nec radicata Lutheri dogmata, nec gravissima Turcarum bella, nec adversa plurimorum consilia, nec gliscens Novatorum rebellio remove potuerint, quin tabulæ manum



admoveres, & Sectariis bellum indiceres, sæpe læpius protestando: nisi penitus eliminata pravitate Lutherana, & restituta Religione Catholica vitam omnem tibi fore molestam, dixisti, capisti; perfice: *Imitare temetipsum*, nec unquam occasione quacunque a cœptis desiste vestigiis.

Æquum enim, imo vero necessarium est eum perficere, qui cœperit, quippe se Principem operis perficiendi bonis omnibus professus sit. Alioquin tolerabilius esset, non aggressum esse, quam ab eo quod laudabiliter aggressus es, deficere: siquidem nihil DEO tam est odio, quam ab opere bono cessatio. Audi tonantem: qui mittit manum suam ad aratrum, & respicit retro, non est aptus Regno Cœlorum. Audi fulminantem: Maledictus omnis homo, qui facit opus DEI negligenter. Vis & punientem? Uxor Loth in Statuam Salis convertitur, quia retro respexerat. Reges quoque Judæorum graviter reprehenduntur, quod excelsa non abstulerint, nempe Consilium in reformandæ Religionis opere non absolverint. DEUS, cujus perfecta sunt opera nihil amat nisi perfectum. Hic jubet se diligere ex toto corde, quo boni operis confirmatio designatur, qui inquit perseveraverit usque in finem, hic salvus erit; finis, ut vulgo dicunt, coronat opus.



Ergo confirma Te ipsum , & ad conficiendum initæ Reformationis opus , mentem animumque porrige , ne forte dedecus admittatur , quod utique admitteretur , si minus viderere constans in defendenda fide Carholica , quam sunt Adversarii in tuenda sua novitate. Qui cum non ignorent , quod adversus Ecclesiam DEI moluntur , nec jure , nec ratione niti ; tamen qui semel eam persequi cœperunt , persecutionem pertinaciter profequi , quam derelinquere gloriosius arbitrantur : in quo proposito nunquam sese deserunt , sed sunt semper sui similes , quantumvis adversa perpetienda essent. Atque hi quidem hoc agunt , ut suæ serviant libidini , & dilatent sathanæ regnum , cujus præcipua est basis hæresis. Tu vero præliaris prælia Domini , & quæris , non quæ sunt tua , sed quæ JESU Christi , obsequens mandato DEI. Quam igitur in excindendis alienis doctrinis , & propugnandis Catholicis constans esse , quam nihil a Te ipso dissidere debeas , animadvertis. Unus igitur idemque esto in hoc sancto fidei certamine , pro penatibus , aris , focus , Ecclesia DEI , Regno DEI. *Imitare te ipsum.*

Et quidnam Te ab instituto removeat ?



an tumultuantium clamores? an minæ? an pugnae? aërem non homines ferunt. Esto tamen; prælia sint & pugnae; tantum abest, ut propterea metueret, ut etiam animari debeas in profligandæ hæresis proposito, quia nulla sine adversario corona victoriæ. Sed & Augusti animi atque virtutis est, rebus adversis crescere, non minui. Virtus, ait Apostolus, in infirmitate perficitur: Unde monet: noli vinci in malo, sed vince in bono malum. In consiliis honestis, utilibus, necessariis, DEO gratis difficultates & pericula Principi viro debent esse virtutis calcaria, non impedimenta, fomes & pabulum, non pestis & venenum. Virtus enim ad ardua tendit, sublimia petit, adversariis gaudet, alitur, augetur, hoc est in infirmitate perficitur. Ut flumina, quo ea magis sistere conaris, eo vehementius objecta perrumpunt obstacula, ut cursum suum prosequantur: Sic Tu ne cede malorum incursibus, sed contra animosior ito. Fac, quod in simili plane causa fecisse fertur Divus quondam Constantinus, qui pro magno animi sui robore, Magni nomen accepit: hic cum cœpisset aliquando fusilium Deorum statuas, & commentitia Hæreticorum dogmata, falsasque doctrinas, quas tunc in vinea Domini seminaverat inimicus homo, convel-  
lere,




tere , multa sane graviaque reperit , qua ab Ethnicis , qua ab Hæreticis obstacula , novos & horrentes motus , non ferente diabolo evelli zizania & falsa labefactari dogmata. Quid hic heros agit? angitur suis periculis? metuit exitus tetros? perdit animos? paciscitur cum adversariis? retractat decreta? minime gentium. Sed se bonitate causæ sustentat, voluntate DEI solatur, & in cursu honestissimorum Consiliorum confirmat; fit in propaganda fide Catholica constantior, in suppressenda falsa Religione fortior; spiritus sumit quotidie majores, & tandem de suis hostibus triumphat.

Eodem modo sis animatus & Tu, quo tibi plus obicis ponere conantur. Novatores nostri, eo magis mentem exsuscita ad pi-um tuum institutum prosequendum, nihil de prospero rerum exitu sollicitus, nihil ob adversas eorum machinationes anxius. DEUS, qui te Principem, istos fecit subditos, & in subditos tibi dedit imperium, vires etiam dabit debellandi rebelles. An putas, ope sua destituet, quem vicaria potestate donavit? non enim est potestas nisi a DEO, per quem Reges regnant. Ergo qui potestati resistit, DEO resistit. Contra DE-um autem quis consistat? propterea væ



Genti rebelli! non enim sine causa gladium portas, & DEus vim injuriarum, opprobrium, perfidiam Vicario suo factam, vindicabit acerrime. An cujus in Turcam toties expertus es auxilium, hujus in Sectarios non senties opem? Sectarios subditos? Subditos rebelles? quid secta? quid rebellionem DEO magis invisum? hoc magis sperandum est, in hoc sancto opere cuncta tibi successura ex voto: tantum vir esto robustus, & ut adhuc quidem fecisti, concessio divinitus Imperio viriliter utere: *Imitare te ipsum.*

Cavendum autem etiam, ne ad animum admittas perniciosas eorum suggestiones, qui non extreme cum Lutheranis agendum, sed ad sedandos, pacandosque animos, postulatis eorum non nihil concedendum esse putant. Nemo te seducat inanibus verbis: nam ut in potestate tua non est, novas de fide sententias, quas non agnovere Patres nostri, concedere; ita non licet facere mala, ut veniant bona; permittere hæreses, ut sedes animos; offendere Catholicos, ut placeas Novatoribus; adimere Christianis, ut dones inimicis Christi. Unus DEus, una fides, una Religio; his ex integro serviendum, non inter utram-


 tran. que partem claudicandum. Si Ecclesia  
 Catholica est columna & Magistra verita-  
 tis, illam audiamus. Sin Lutherus caput  
 Schismatis vera docet, Lutherum sequa-  
 mur. Alterum odio, alterum amore pro-  
 sequamur oportet. Vox enim Christi est:  
 Nemo potest duobus dominis servire. At  
 nemo tam stultus est, qui non malit Eccle-  
 siæ servire, quam Luthero; veritati, quam  
 falsitati. Et tu hætenus o DEI amantissime  
 Princeps! quid DEI, quid veritatis, quid  
 Ecclesiæ causa non fecisti? quos ætus non  
 pertulisti? quæ pondera sustinuisti? opera  
 tam præclara in medio cursu desereres? meri-  
 ta relinques? bene acta rescindes? fervo-  
 rem propagandæ Religionis remittes? glo-  
 riam tot facinorum obscurabis? Sectariis  
 animos reddes, Catholicis adimes? Evan-  
 gelicæ pariter & adversæ doctrinæ servies?  
 fidem tuam in dubium vocabis? pedem a li-  
 mine victoriæ referes? partem prope tri-  
 umphum alteri dabis? tibi perire fines?  
 non fines, confido, o Magnanime Prin-  
 cept! Novi enim ego, norunt omnes, &  
 qui officii tui constantiæque sis memor, &  
 quibus virtutibus nomen tuum immortalit-  
 atati commendare velis.

Age vero, concedas Sectariorum præ-



cibus; quid lucri feceris? Sedationem animorum? pacem subditorum? tranquillitatem vitæ? ego vero vel isthinc interitum Catholicæ Ecclesiæ, Fidei metuerem. Etenim proprium est a Fide Catholica alienis, ut sint perfrictæ frontis, audaces, minaces, ingrati, furiosi, rebelles: quibus fere rebus nascitur, crescit & viget hæresis. Nulla igitur salus inde foret, sed factio, sed seditio, sed interitus, quorum aliud sequitur ex alio: finis alterius mali, gradus esset futuri. Atque singula adeo illi propria sunt, ut sine illis hæresis nulla foret, ut spina non spina, ut urtica non urtica, nisi illa pungeret, ista ureret, sic cieret & turbas. Sola, quam Ecclesia Romana profitetur Religio, hominum pacat mores, mites reddit, & pios; nec sinit esse feros. At hæresis barbaros efficit, & impios: nec sinit esse mites. De quibus illud vere dici potest: homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis, & similis factus est illis. Quid ab his feris pessimis præter feritatem expectes? adde quod ubi nullum est caput, nullus ordo, nulla disciplinæ lex, illic omnia belluarum more fieri necesse sit: sed nullum capitis, nullum ordinis, nullum disciplinæ jugum ferunt hæreses, Charitas, ajunt, legem implevit legem,



legem absolvit, libertatem statuit, nihil opera curat, sola fides sufficit; quo fit ut taurorum instar, semper ferociant, & contra omnem rationem perturbent omnia. Quibus si quid indulgeas, deteriores omnino fiunt; si neques, contra vires in unum exerunt omnes; si vires propriæ deficiunt, Acheronta movent.

Hinc illæ nullis unquam suppliciis expiandæ voces: nolumus hunc regnare super nos; non nummum, non militem conferemus in hostem. Turcæ malum quam Catholici Principis imperium. Vide naturam, germina, fructus hæreticæ pravitatis; hanc missam facies? tolerabis? fovebis opinionem pacis? citius collegeris ex spinis uvas, ex tribulis ficus, quam bonum ex hæresi fructum. Quid obsecro concessione Brugensi in sectarios liberalius? quid benignius specioso titulo pacis? Catholicis vero quid perniciosius? at tantum abest, ut inde secuta sit pax, ut ab eo temporis punctulo dies nulla præterierit sine novis motibus; quibus adeo afflicti fuere Catholici, ut res eorum ad triarios redactæ viderentur. Paciscere, quantum voles, cum adversariis; vicissim ipsi spondeant omnia: semper verba dabunt; pacem, concordiam  
mini-



minime; non enim potest inter illos ullus esse pacis affectus, quorum est fides diversa: siquidem Religione divisa, animos & affectus, consilia, & studia dividi necesse est. Quare puto, quidvis potius, quam Religionis & conscientiae libertatē esse permittendam: quantumcunque enim eis concesseris, tantum deteriores effeceris: Viperam semper ales in utero, serpentem in sinu, murem in pera, mortem in olla.

Quid enim aliud est fidei conscientiaeque libertas, quam fidem abolendi, sacra profanandi, Tempia vastandi, bona Ecclesiastica diripiendi, Catholicos vexandi, opprimendi, delendi, plena potestas. Circumspice enim universos Romani Imperii Principatus, in quibus regnant novae de Religione opiniones, & videbis ubique explosos fidei Catholicæ Professores, Sacerdotes, Laicos, Clerum, populum; & hi ipsi Novatores, qui nunc apud te tantopere laborant pro salvo Lutheri Conductu, an vel unum inter suos ferunt, & ad obeundum aliquot munus adsciscunt orthodoxæ Religionis amatorem? unde videre licet, quo tendant. Omnium nimirum hæc una mens est, ut destruant Templum Domini, quod est Ecclesia Christi; & ejus loco Synago-



nagogam suam instituunt. Quorum technis, & diris infestationibus jam diu acriter resistis, nec cessare debes, aut potes, donec cum initio finem conjungas: *imitare te ipsum.*

Verum hic nobis obstreperit malignantium cæcus, Sectarius Politicus. Si nihil, inquit, tempori, nihil Nobilitati dederis, nec pugnabit ipsa pro te, nec quidquam in hostem conferet, quin divenditis bonis solum vertet, alio migrabit, & tibi relinquet tuas Provincias, omni Nobilitate vacuas. Atque hic Achilles eorum est, quo te non solum a proposito deterreri, sed & dejici ex arce fortitudinis tuæ putant. At errant toto, quod ajunt, Cælo. Non enim es, qui DEI causam timori postponas humano, & cum carne, & sanguine commutes cœlestia. DEO cœli votum vovisti de extirpandis Sectis. Frivola quoque, futilis, & inanis est objectio; quis enim sapiens unquam dixit, ac sensit, in subditorum esse potestate, ferre periclitanti patriæ subsidium? nonne omnes adstricti sunt patriæ defendendæ legibus? nonne Principi in hac re, cum necessitas postularit, morem gerere tenentur? nemo vir bonus negat: Christus vero mandat: Reddite (inquit) quæ sunt



sunt Cæsaris , Cæsari , & quæ sunt DEI ; DEO : mandat Apostolus : cui tributum , tributum : cui vectigal , vectigal. Præterea apud omnes gentes vulgatum est : numerandum eum inter hostes , qui tempore necessitatis , quas potuit , & debuit , patriæ non tulit suppetias , ære , opere , consilio.

Verum demus hoc illis , ut non pugnent pro te , quid tum ? si non pugnabunt pro te hostes Religionis , pugnabit pro te DEUS author , & fautor Religionis. Hic docebit manus tuas ad prælium , & digitos tuos ad bellum. Hic solus Dux tuus erit , & non erit cum eo Lutherus ; hoc duce unus persequetur mille , & fugabunt duo decem millia. Quæ vero vel gloriæ vel victoriæ spes ab adversariis ? non enim salvatur Rex per multam virtutem , & Gigas non salvabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem ; in abundantia autem virtutis suæ non salvabitur. Ecce oculi Domini super timentes eum , & in eis , qui sperant super misericordia ejus. Quare melius , honestius , gloriosius esse putarem in hostem tantillo carere auxilio , quam pro re tantilla Fidem prodere. At solum vertent. Utinam verterent ! sic enim & tuo desiderio , & DEI præcepto aliquan-

do



do satis fieret: tu enim in hoc potissimum incumbis, hincque unicus est institutæ tuæ Reformationis finis, ut vel ad nos se adjungant, vel a nobis se jungantur Sectarii. At se jungi, quam adungi malunt. Sejungantur igitur, & vias suas abeant, imo cogantur abire, si nolunt. Mandatum enim Domini est, ut eos caveamus. Attendite (inquit, a falsis Prophetis. Unde Paulus ait: hæreticum hominem post unam & alteram correptionem evita, sciens, quia perversus est. Joannes quoque monet: si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec ave ei dixeritis, qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.

Hanc secutus doctrinam Cyprianus: nulla, inquit, cum talibus commercia copulentur, nulla convivia, vel colloquia misceantur. Et Leo Pontifex: viperea, inquit, hæreticorum vitate colloquia; nihil vobis commune sit cum eis, qui Catholice adversantes fidei, solo nomine sunt Christiani. Athanasius quoque de magno illo Antonio memoriæ prodidit, quod a deo detestaretur hæreticos, ut omnibus diceret, nec juxta eos quidem esse accedendum. Edoctus nimirum pulcherrimo dilecti a Domino



mino discipuli exemplo, qui, ut auctor est Irenæus, cum balneum aliquando effec ingressus, mox ut Cerinthum hæreticum intus esse cognovit, subito non locus inde discessit. Accidit simile quid in Ecclesia Samosatensi, ubi populus erat Catholicus, Episcopus hæreticus; concionabatur hic, sed scamnis, & parietibus; quod populus illum haud secus, atque pestem fugeret. Cumque idem Episcopus ad balnea iret, nemo præsentem ipso locum intrare voluit, nemo etiam postea ibi lavit, nisi prius aqua omnis abjecta, & nova rursus adducta fuisset. In eadem Civitate aliquando ludebant pueri in foro lusoria pila, quæ cum forte attingeret jumentum pedem, quo Episcopus vehebatur, confestim exclamant omnes, & magno in ipso foro accenso igne, in eum pilam conjiciunt. Talis erat veterum Christianorum zelus, talis pro catholica Fide adversus illius hostes contentio.

Atque hoc, ni fallor, est illud, quod Dominus ipse monet, illis verbis: Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te; si pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te: melius est enim, ut vel cæcus, vel claudus intres in Regnum Cœlorum, quam ut duos oculos, vel duos




os pedes habens, mittaris in gehennam. At-  
qui nullum usquam majus, quam a Nova-  
toribus scandalum. Jubemur igitur a cætu  
fidelium exterminare ab Orthodoxa Reli-  
gione dissentientes; & ultro migrare vo-  
lentes non dimitemus? etiam tenebimus?  
vel aureum illis sternamus pontem, ut ab-  
eant. Gratulandum est (inquit Cyprianus)  
cum tales de Ecclesia separantur; ne co-  
lumbas, ne oves Christi scæva sua & vene-  
nata contagione prædentur. Cohærere &  
conjugi non potest amaritudo cum dul-  
cedine, caligo cum lumine, nubila cum  
serenitate, pugna cum pace, cum fœcun-  
ditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum  
tranquillitate tempestas (addo ego) cum per-  
fidia fides. Unde Apostolus ait: abscindan-  
tur, qui vos conturbant.

Nec est, quod vereamur, propter il-  
lorum discessum vacuas relictum iri Pro-  
vincias. Non enim ita pauci sumus ex No-  
bilitate Catholici, ut reformidemus va-  
stitatem. Etsi pauciores essemus, potens est  
DEUS ex lapidibus excitare Nobiles. Sed  
non est opus istis miraculis; nunquam de-  
erunt, qui migrantibus non succedant; mo-  
do non desint, qui migrent. Migrent i-  
gitur, si resipiscere & in fide Catholica no-  
bis.



biscum consentire nolunt adversarii, ut pateat locus Catholicis succedere volentibus, & tuæ Provinciæ ab eorundem contagione sint liberæ. Verum egone credam migraturos? qui? quare? quorsum? qui domi degunt in deliciis, aucti liberis, & divitiis, suis moveant sedibus? patriam vetere Religione florentem deserant, atque in alias terras demigrent? ob infausta Lutheri deliria? denique colla servitutis expertia, jugo subdant prorsus incognito? placeant, quibus placent, aniles hæ fabulæ, fraudis, & doli plenæ: spes me tenet non dubia, modo nihil a sententia deflectas, aliquando fore, quod in cæteris tuis subditis ob hæresim migrare jussis accidit, tandem nimirum ut in Catholicam consentire Religionem, quam propter Lutheranam opinionem patriis laribus carere malint, si non omnes, saltem major eorum numerus. Ut autem fixus & stabilis in sententia perseveres, cum alia multa, tum res ipsa postulat. Si enim nunc vel digitum unum prætensæ Religionis cesseris, nunquam te, nunquam principatus tuos a falsis dogmatibus extricaveris: semper enim migrationem obtendent, quo rei Catholicæ vulnus nullum infligi posset perniciosius. Surdis igitur auribus objecta trans mitte.





Multo vero minus eos audi , qui tibi  
persuasum cupiunt , esse ad tempus dissimu-  
landum cum Novatoribus. Etsi enim lice-  
at simulare nonnunquam in rebus huma-  
nis , in divinis profecto non licet , ut quæ  
a Divina non humana voluntate pendent.  
Hinc Reges Israel pessime semper audierunt ,  
quod populo libertatem in excelsis adolen-  
di gratificati sunt. Heli Sacerdos morte  
subitanea peremptus est ob dissimulatam fi-  
liorum impietatem. Non est salus perversæ  
doctrinæ dissimulatoribus ; quia falsa dog-  
mata , quæ ore negant , dissimulatione prob-  
ant , ideoque meritam cum Novatoribus  
portionem referunt. Quid ? non dissimu-  
lamus homicidia , non furta , non pestem ?  
& dissimulabimus hæresim ? hæresim inquam ,  
quæ animas quoque : non corpora tantum  
ducit in gehennam. Absit , hoc te obstringas  
crimine , ut in limine victoriæ cum ad-  
versariis colludere , adeoque hæresim fo-  
vere puteris. Non enim potest haberi sin-  
cere Catholicus , qui dissimulator est hæ-  
resis. Non est igitur honesta , non licita dis-  
simulatio. Quidquid enim sive parum , sive  
multum contra fidem Catholicam permi-  
seris ; approbasse , statuisse , jussisse videbe-  
ris , permissionem & conniventiam omni-  
bus pro consensu proque mandato inter-  
pretantibus.



Ex his omnibus quæ hæcenus a me commemorata sunt, satis liquet, quid ad postulata Novatorum, agere, quidque respondere debeas. Cum enim illi summis hoc studiis agant, ut fidem Christianam destruant, doctrinam Lutheranam stabiliant; Tu vicissim nervos omnes intende, fidem ut adstruas, Lutherum destruas, & cultum DEI verum, salvum, sospitem nobis præstes. Atque hoc quidem in opere, non casu sed consilio, ac consilio potius Divino, quam humano, jam quartum desudas annum. Neque pœnitendos tituli flores, sed consumatæ virtutis opus omnes desiderant, dudumque optatum tam præclari facinoris exitum expectant. Neque procul hinc abes; siquidem jam super Lutherum velut super aspidem & basiliscum ambulas; jam gulam illius pede premis. Hanc si virtute constantiæ paulo fortius adstrinxeris, plane fregeris, nosque magno metu liberaveris. Hoc tu igitur age, fac, cura diligenter, ne perdas, quæ operatus es, sed mercedem plenam accipias, nosque eventu istius expectationis jam diu suspensos tandem aliquando exhilares. *Imitare te ipsum.* Ut autem conforme sit actioni tuæ responsum: Dic, Te, quo minus eis usum novi dogmatis permittas, & Edicta contra

No-



Novatores evulgata rescindas, Religione prohiberi, a qua tibi non liceat transversum unguem discedere. Jube, ut tibi molesti esse desinant in iis rebus, quæ in tua potestate non sunt: quin deposito omnis novitatis studio, dicto potius audientes sint tuo, qui DEI personam sustines, nec aliud, quam salutem illorum quæris, & Ecclesiæ, de qua Dominus ait: Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus; ut sicut est unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus DEUS & Pater omnium, ita & nos vivamus in unitate Spiritus, in vinculo pacis. Nos interim in excubiis orabimus ad DEUM, ut tibi mittat auxilium de Sancto, & de Sion tueatur te, ut tribuat tibi secundum cor tuum, & omne consilium tuum confirmet: Domine salvum fac Regem, & exaudi nos in die, qua invocaverimus te. Vale Serenissime Archidux, iterum vale, & triumpha. 31. Julii Anno 1605.

Hæc non fidelius ab Episcopo suggesta, quam impleta fortius ab Archiduce; nisi quod tenax malum in quibusdam Nobilium adhuc hærebat, quorum nonnulli quum ad subsellia sederent provinciæ, non



omnino spem omnem sectarii rerum suarum in tempore restituendarum abjecerant, gliscebant etiam inter privatos, popularesque scintillæ veteres, errabant occulti per vicos ministelli: res curam injecerat Catholicis pastoribus, quorum vocem denuo Lavantinus Episcopus apud Archiducem prævit ardenti pro more suo epistola de ressecandis funditus reliquiis, quam hic reddimus.


Quod felix fortunatumque sit Serenitati vestræ, ejusque in ævum semini! agitur hodie dies anniversaria exactiōnis Prædicantium ab urbe Græcio, sede ditionum tuarum primaria, peractæ anno salutis supra millesimum & quingentesimum nonagesimo octavo, ipso Divi Michaelis profesto, Christi Ecclesiæ adversus infestas hæreticorum phalanges propugnatoris acerrimi. Felix dies, quæ vindicatæ hisce tuis in ditionibus Religionis nostræ, a quadragenario Novatorum dominatu dedit initium! quam, cum omnes tanti beneficii participes, ut opinor, læto, gratoque colunt animo, tum ego sic colo; ut quam in templo, tam in ædibus meis omnia personent vocibus, organis, tubis, fistulis. Ago nimirum hac tanta celebritate supremo Numi-



ni gratias, quoniam bonus, quoniam in  
sæculum misericordia ejus.


Nec minus tuas, o Heros fortissime!  
cujus virtute, & pietate donum hoc insig-  
ne nobis obtigit, deprædico laudes: nec  
illas vulgares, sed præclaris tuis facinori-  
bus dignas, quales olim de impio Holofer-  
ne prostrato decantarunt Presbyteri victri-  
ci foeminæ Judithæ: Tu gloria Hierusalem,  
tu lætitia Israel, tu honorificentia populi  
nostri; quia fecisti viriliter, & conforta-  
tum est cor tuum, eo quod castitatem ama-  
veris, & post primum virum alterum nesci-  
eris; a Christo scilicet, ejusque Ecclesia non  
discesseris; nec primam fidem irritam fece-  
ris: ideo & manus Domini confortavit te,  
erisque benedictus in æternum. Nec ego  
solus id perago; verum audi: populus o-  
mnis exclamat: fiat, fiat! ita faxint superi!  
quod ego pronus in terram oro, ut non de-  
ficiat laus tua ab ore hominum.

Sed Serenissime Archidux, fas mihi sit  
quæso, meo quodam more, & singulari  
quadam in te pietate liberius adhuc dicere,  
quæ sentio. Conceptum namque sermonem  
continere nimium esset difficile. Cum o-  
mnia faciam, tamen nihil me facere puto,



dum video hæreticos adhuc inter nos versari, hæresim propagari, & dominari, longe maxima Catholicæ pietatis jactura. Admiranda certe, sed vera profero: Ecce enim communis negotiatio & consuetudo tan. arcta, quam esse solet, ac potest inter domesticos fidei; ad connubiorum usque & paternitatum, & fraternitatum foedera. Habitamus, ut verbo dicam, sicut fratres in unum, cum tamen interim ab illis minime fraterno tractemur amore, sed perpetuo illi nobis, & Religioni nostræ struant insidias, quibus fidem nostram opprimant, suam dilatent. Siquidem nemo est fere Nobilium, qui non domi suæ vel Prædicantem ementito habitu, ne cognoscatur, vel ipsemet Prædicantis vices suppleat, hæresimque familiæ suæ, postillarum hæreticarum lectione instillet. Neque id viri tantum, sed etiam foeminæ faciunt.

Fovent ad hæc in vicinis Austriæ & Hungariæ finibus peculiare suos verbi, quos vocant, ministros. Ad hos turmatim sæpissime & quidem longo nimis agmine, Baptismi, Synaxis, Matrimonii, & verbi audiendi causa confluunt. Ab his quoties cauteriata sua agitur conscientia, consilium, ab his remedium & divinorum mysterio-  
rum



rum gratiam expetunt. Quid, quæso, hoc est, si non est publicum hæresis exercitium? quod tamen plurimis olim decretis serio illis interdictum memini. Verum hæc illi, eo facilius, quo majori auctoritate pollent; ut, qui dominatum inter Catholicos obtinent. Unde nihil pensi habent, sed suis viribus metiuntur omnia. Ecce enim usque nunc in singulis Provinciis, & rei militaris & justitiæ administrandæ præsent; jusque dicunt non solum populo, verum etiam Clero. Quodque absurdissimum Religionis nostræ dedecus est, ab ipsorum pendent censura ipsi quoque Sacrorum Antistites, ad quos dictum est: Vos estis sal terræ, ita, ut jam non condiant Episcopi cæteros more salis, sed condiantur ab aliis, & quidem ab hæreticis.

Quid multa? eo adhuc sunt loco hæretici, unde facile possent, si vellent, Catholicos, extinguere; ac velle, res eorum gestæ fati testantur; tantum (ut nuper quispiam ex eis dixit, & scripsit) rei bene gerendæ desideratur occasio. Quare, quantum possum ex rebus præsentibus augurari, væ nobis! si te Principem nostrum casus aliquis humanus (omen o DEus averte!) subduceret. Illico nos rursus Prædicantium



multitudine circumvallari , rursus in veteri pistrino circummagi , clitellas portare, & jugum cum sectariis ducere conspiceres. Quis enim hoc rerum statu insolentiam illorum cohiberet? Nolo plura. Animadvertis enim Archidux prudentissime, quo cum hominum genere nostra sit conversatio , cum iis videlicet , quorum majores in his Provinciis primi a Christo ad Idolum Eislebiense defecerunt , familiasque totas ipsius mox scabie ita contaminarunt , ut ab ea in præsentem usque diem tot tantisque curis ac laboribus tuis non potuerint penitus expurgari. Similes sunt omnino parentibus filii, qui nihil aliud animo versant , quam ut labem eandem renouent , & opus Reformationis tuæ in fumum convertant, tibi que denuo opus facestant. Id vero monstro simile est , fovere eos , ex quorum malignis operibus & ex inita adversum te cum Austriis & Hungaris conspiratione tragicum nuper tu ipse expertus es documentum,

Quæ me res in omni mea lætitia graviter turbat , deque incolumitate nostra & fidei nostræ admodum sollicitum facit. Metuo enim, ne aliquando nobis , nisi compescantur , contingat , quod de pennis aquilinis





quilinīs est proditum ; quarum ea vis sit , ut cœterarum avium plumas , si commisceantur , deterant , ac quodammodo devorent ; illudque de nobis olim dicatur , quod scriptum est de Hebræis ; non disperdiderunt gentes , quas dixit Dominus illis ; & commixti sunt inter gentes , didicerunt opera eorum , & servierunt sculptilibus eorum , & factum est illis in scandalum . Sed tua pietate ac vigilantia Principum Religiosissime , fore confidimus ut hæc brevi tollantur scandala , tollantur & pericula ; nosque populus tuus & oves pascuæ tuæ a lupis istis vespertinis deinceps vivamus immunes , & exultemus securi .

Hic est ille fructus a te tuisque exantlatis laboribus & indefesso studio promissus & expectatus , cujus jam non adumbratam imaginem , sed luculentam , expressamque formam , non nobis solum sed toti pene mundo exhibuisti , cum tanquam agrum melioribus serendis segetibus destinatum , lolio , zizaniisve , sic Rempublicam tuam labe hæretica vitiisque malefanæ doctrinæ repurgare , corruptores ejicere , plurimas Divini nominis contumelias , & blasphemias pro virili jureque tuo prohibere cœpisti , certo sciens , pro hoc tuo studio ti-

bi



bi divinitus immortale præmium esse propositum, cum tam gloriosi conatus dux & magister Christus prolixè polliceatur illis rerum omnium felicissimos successus, qui Religionis negotium sibi cordi sumunt, & ex corde ad finem usque promovent. Finis inquam desideratur, ut coronadetur.

Respice igitur FERDINANDE Archidux, munus tibi assignatum a DEO (hujus enim minister & est & dicitur bonus quivis Princeps) talentumque tam liberaliter tibi impertitum semper ob oculos habe: ut, quod de Sparta olim proverbium jactatum est, quas reformare cœpisti Provincias tuas, eas reformatas, atque Catholicas aliquando nobis exhibeas: passim repullulantes hæreticorum reliquias, ne reviviscere amplius queant, ad finem reseces. Suscepisti semel hæresis extirpandæ negotium; hæresim extirpes, finemque cum principio conjungas, oportet. Audi, quæso, non minus pium quam magnanimum illum Machabæorum Ducem Matathiam morti jam vicinum, sic filios suos alloquentem. Estote o filii! æmulatores legis, & date animas vestras pro testamento Patrum vestrorum, & mementote operum Patrum, quæ fecerunt in generationibus, & accipietis gloriam mag-

magnam & nomen æternum. Imitare & tu majores tuos , qui de beneficio Religionis Catholicæ in hac dignitate constituerunt ; nec aliud a te petunt , quam ut pro tuenda hac dignitate tua eandem Religionem defendas , & quidquid ei adversatur , evellas & destruas ; hujus rei causa flecto genua mea ad Patrem Domini nostri JESU Christi ; quem & supplex oro , ut nos voti compotes , teque egregiis factis semper faciat illustriorem. Vale Serenissime Archidux Religioni , nobis , & patriæ diutissime. Lavanto in profesto Divi Michaelis Archangeli, Anno 1645.



